



Crescat scientia vita excolatur

MUSEUM LESSIANUM — SECTIO THEOLOGICA Nº [illegible]

P. ROUSSELOT, S. I.


QUAESTIONES DE CONSCIENTIA

QUAS PRAEFATIONE INSTRUXIT

J. HUBY, S. I.

DESCLÉE DE BROUWER, PARISIIS

1937



MUSEUM LESSIANUM — SECTIO THEOLOGICA N° 35

P. ROUSSELOT, S. I.

QUAESTIONES DE CONSCIENTIA

QUAS PRAEFATIONE INSTRUXIT

J. HUBY, S. I.

DESCLÉE DE BROUWER, PARISIIS

1937

QUAESTIONES DE CONSCIENTIA

MUSEUM LESSIANUM — SECTIO THEOLOGICA N. 35

QUAESTIONES DE CONSCIENTIA

QUAS IN FACULTATE THEOLOGICA
INSTITUTI CATHOLICI PARISIENSIS
ANNO DOMINI MCMXII

EXPLICABAT

PETRUS ROUSSELOT, S. I.

ET PRAEFATIONE INSTRUXIT

JOSEPHUS HUBY, S. I.

DESCLÉE DE BROUWER, PARIS.


1937

CUM LICENTIA SUPERIORUM ORDINIS

IMPRIMATUR

Mechliniae, die 28 Octobris 1936.

† ET. JOS. CARTON DE WIART,
vic. gen.



PRÉFACE

« J'ai eu dans ma vie beaucoup de professeurs, je n'ai rencontré qu'un maître. » C'est ainsi qu'un prêtre éminent qui fut, il y a vingt-cinq ans, élève, ou plutôt disciple, du P. Rousselot à l'Institut catholique de Paris, nous résumait l'impression ineffaçable qu'il avait gardée de son contact avec cette magnifique et loyale intelligence. Si la vraie gloire, comme l'a dit Paul Valéry, est « chose cachée et non point rayonnante », si pour un maître elle consiste avant tout en ce que sa doctrine demeure au cœur de quelques disciples comme une semence toujours vivace, le P. Rousselot connaît cette gloire. Et pourtant, combien fut brève sa carrière enseignante, tragiquement close par la guerre de 1914 ! Quatre années seulement ; dans l'histoire, bientôt deux fois millénaire, de la théologie, la durée d'un éclair, mais qui suffit à illuminer, pour le reste de leur vie, plusieurs de ceux qui en eurent la vision.

Nous n'avons pas à raconter ici la vie du P. Rousselot : le P. de Grandmaison l'a fait excellemment dans la notice qui a été placée en tête de la seconde édition de « *l'Intellectualisme de saint Thomas* » (Paris, 1924). Rappelons seulement que c'est en 1909, l'année qui suivit sa soutenance de thèse en Sorbonne et alors qu'il n'avait pas achevé sa trente et unième année, que le P. Rousselot prit possession d'une des chaires de théologie à l'Institut catholique de Paris. Le domaine qui lui était assigné comprenait les vertus théologales et des questions connexes de morale théorique. Ayant comme élèves de jeunes prêtres qui avaient achevé leurs études de séminaire, il était loisible au nouveau professeur de prendre pour matière de cours un sujet limité et de chercher à l'approfondir. C'est ainsi qu'il traita de questions intéressant l'acte de foi, la vertu de charité, la conscience morale, celle-ci spécialement au regard du probabilisme. Chacun de ces cours était rédigé en latin : le P. Rousselot parlait et écrivait en cette langue avec une aisance admirable. La rédaction était lithographiée à plusieurs exemplaires, que le professeur distribuait à ses élèves. Les directeurs du *Museum Lessianum* nous ayant exprimé le désir de prendre connaissance des *Quaes-*

tiones de Conscientia, puis de les publier, nous avons pu leur remettre l'exemplaire même lithographié, dont le P. Rousselot s'était servi pour ses cours publics. L'auteur est mort sans avoir repris ce sujet ni la première rédaction qu'il en avait donnée. Nous nous sommes fait scrupule de rien changer au texte original : nous le livrons dans son intégrité, sans addition ni suppression. La bibliographie elle-même est restée en son état de 1912. A ceux qui voudraient la compléter, qu'il nous suffise d'indiquer l'article des RR. PP. J. de Blic et A. Vermeersch, S. J., sur *le Probabilisme*, paru en 1922 dans le *Dictionnaire Apologétique de la Foi Catholique*, ainsi que l'article du R. P. Deman, O. P., sur le même sujet, paru en 1935 dans le *Dictionnaire de Théologie Catholique* : ils y trouveront tous les renseignements désirables.

Les « *Quaestiones de Conscientia* » ne sont donc qu'un premier jet, mais qui suppose une réflexion profonde et une doctrine déjà sûre d'elle-même. Les amis et disciples du P. Rousselot y reconnaîtront ce qui constituait peut-être le trait le plus original de son enseignement : l'amoureuse connaissance de saint Thomas, unie à la plus intelligente sympathie pour tout effort fécond de la pensée moderne.

Joseph Huby, S. I.

PROŒMIUM

Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae (*2 Cor.*, 1, 12). « Quod conscientiae testimonium non sic intelligendum puto », inquit beatus Bernardus, « tanquam ipsa sibi conscientia attestetur. Non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat (*2 Cor.*, 10, 18). Est ergo testimonium conscientiae, in quo gloriatur Apostolus, non quod perhibeat conscientia, sed quod loquitur Spiritus veritatis in ipsa, testimonium perhibens spiritui nostro, quod filii Dei sumus (*Rom.*, 8, 16). Est enim testimonium conscientiae non perhibentis, sed percipientis. Cum enim veritas applaudit, cum iustitia attestatur, Dei sine dubio commendantis vox est, et Spiritus sancti testimonium perhibentis. In quo testimonio gloriatur quidem probatus et strenuus miles ; minime tamen quiescit, sed tanto acrius viriliusque decertat. Itaque, dum adhuc militant, gaudent utique electi Dei, sed tantum de primitiis Spiritus, qui et infirmitatem eorum adiuvat virtute sua, et pusillanimitatem sua consolatur attestatione. » (S. Bernardus, *In festo omnium Sanctorum serm. II*, n. 3. PL. CLXXXIII, 464). His verbis manifestatur et humanae conscientiae dignitas, et eiusdem dependentia, dignitas ea quidem, quia conscientia est participatio quaedam rationis divinae, dependentia autem, quia lumen rationis in ordine ad opus morale agendum (quod lumen solent homines nomine « conscientiae » intelligere) non est in nobis nisi per modum participationis, mensuram suae perfectionis non in se habens, sed accipiens aliunde.

Secundum S. Thomam, « conscientia, proprie loquendo, non est potentia, sed actus », actus nempe quo applicatur actioni particulari, sive positae, sive ponendae, notitia quam quis habitualiter habet circa bonum et malum in moralibus. « Dicitur enim conscientia testificari, ligare vel instigare, vel etiam accu-

sare, vel etiam remordere sive reprehendere. Et haec omnia consequuntur applicationem alicuius nostrae cognitionis vel scientiae ad ea quae agimus. » (1ª, q. 79, a. 13 ; cfr *De Veritate,* q. 17, a. 1 et 2). — Conscientia qualem recentiores accipiunt latius patet usurpatione illa thomistica. Quod enim S. Thomas quandoque fieri advertebat, ut nomen de actu transferretur ad habitum (in *Summa,* l. l.), id satis solet nunc fieri : significat igitur conscientia ipsum habitum principiorum primorum rationis practicae, quem Veteres « synderesim » dicebant (1ª, q. 79, a. 12 ; *De Veritate,* q. 16). Sic ex. gr. dicitur : « Cet homme est sans conscience », si ita habitualiter agit, ut videatur dictis principiis carere. Amplius, verbi « conscientiae » comprehensio sic etiam aucta est, ut cum principiis primis, quae sunt omnibus hominibus communia, complecti etiam intellegantur principia practica moralia magis determinata, et quae sunt unicuique hominum condicioni propria : hoc ex eo tempore, quo ethica coepta est magis socialiter tractari, ac praesertim fit adiective : ex. gr. « acheteur conscient », « prolétaire conscient », etc. (= is scilicet qui plane novit quid sibi vel a se praestari debeat, *qua* emptor est, *qua* proletarius). Neque aliena prorsus est a significatione verbi morali significatio eius psychologica, qua « sensum sui » in ente moderni philosophi designant (cfr primam verbi acceptionem apud S. Thomam, 1ª, q. 79, a. 13).

Generatim igitur, conscientia est, qua video quid mihi sit agendum moraliter, vel ratio practica in ordine ad *agibilia* (quae distinguuntur a *factibilibus.* Cfr 1ª 2ªᵉ, q. 57, a. 4 ; *De Veritate,* q. 5, a. 1). Virtus eam perficiens est prudentia. Generali illa vocis acceptione in capite I nostrae tractationis utemur.

CAPUT I

Rectitudo conscientiae in eo est, ut conformetur legi aeternae, mediante lege naturali et vera apprehensione condicionum ipsius subiecti.

Lex *aeterna* nihil aliud est nisi ipsa Ratio vel Intellegentia divina, secundum quod respicere intellegitur ea quae sunt agenda, praecipue a creaturis libero arbitrio praeditis. Legem *naturalem* vocant ipsa prima moralia principia seu praecepta naturaliter mentibus humanis manifestata[1] ; potest igitur dici lex naturalis : id quod de lege aeterna in mentibus humanis naturaliter participatur (Cfr A. de la Barre, *La Morale*, Parisiis, 1911, 3e étude, et scriptores ibi laudatos). Ad rem Angelicus : « Legem aeternam nullus potest cognoscere, secundum quod in se ipsa est, nisi solum beati, qui Deum per essentiam vident ; sed omnis creatura rationalis ipsam cognoscit secundum aliquam eius irradiationem vel maiorem vel minorem. Omnis enim cognitio veritatis est quaedam irradiatio et participatio legis aeternae, quae est veritas incommutabilis, ut Augustinus dicit in libro *de Vera Religione*, c. 31 ; veritatem autem omnes aliqualiter cognoscunt, ad minus quantum ad principia communia legis naturalis... » (1a 2ae, q. 93, a. 2). Idem rursus de vi legis obligante : « Quod autem ratio humana sit regula voluntatis humanae, ex qua eius bonitas mensuretur, habet ex lege aeterna, quae est ratio divina ; unde in Psalmo IV dicitur : *Multi dicunt : Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*, quasi diceret : Lumen rationis, quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona, et nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultus tui, id est, a vultu tuo derivatum. Unde manifestum est, quod multo

1. « Proprie... lex naturalis non est habitus... lex naturalis est aliquid per rationem constitutum, sicut etiam propositio est quoddam opus rationis. Non est autem idem quod quis agit, et quo quis agit » (1a 2ae, q. 94, a. 1). Habitus quo cognoscitur lex naturalis est synderesis, vel conscientia latius dicta.

magis dependet bonitas voluntatis humanae a lege aeterna quam a ratione humana ; et ubi deficit humana ratio, oportet ad rationem aeternam recurrere. » (1a 2ae, q. 19, a. 4).

Porro, cum finis legis sit ut faciat actionem rectam, in duobus invenitur illa participatio legis aeternae, quae est lex naturalis, a fine suo deficere, et consequenter complemento indigere : primo quidem, ex eo quod principia communia manifestat, actiones autem sunt in particularibus ; secundo, ex eo quod per manifestationem veritatis qua talem non movet efficaciter ad agendum. Et ideo quantum ad primum indiget complemento prudentiae, quae est apprehensio quaedam condicionum particularium subiecti. Quantum ad secundum, oportet appetitum hominis inclinari a Deo in ea quae recta sunt, ut non tantum bonum percipiat, sed ad illud etiam afficiatur.

Necessariam esse prudentiam animali rationali, propter diversitatem paene infinitam agibilium, quibus non satis provideatur ab instinctu naturali, explicat S. Thomas (*De Virtutibus in communi*, a. 6; etiam 2a 2ae, q. 47, praesertim a. 15 : Utrum prudentia insit nobis a natura). Comparatur, in eius doctrina, habitudo prudentiae ad synderesim cum habitudine scientiae ad intellectum principiorum. Nam « sicut... in ratione speculativa sunt quaedam ut naturaliter nota, quorum est intellectus, et quaedam quae per illa innotescunt, scilicet conclusiones, quarum est scientia ; ita in ratione practica praeexsistunt quaedam ut principia naturaliter nota [lex naturalis] ; ...et quaedam sunt in ratione practica ut conclusiones ...et horum est prudentia, applicans universalia principia ad particulares conclusiones operabilium » (2a 2ae, q. 47, a. 6, c. Cfr ad 3). Haec itaque universalium principiorum applicatio cum alia et alia esse debeat, non tantum secundum externorum obiectorum circumstantias, sed etiam secundum condiciones uniuscuiusque subiecti, quia medium virtutis diversificatur secundum diversos homines (S. Thomas, *De Virtutibus in communi*, a. 13, ad 17 ; Aristoteles, *Ethica Nicomachea*, l. II, 1106 a, 30, etc.), patet necessariam esse, ut ea recte prompteque fiat, rectam habitualem apprehensionem condicionum ipsius subiecti.

Ad complendam autem alteram, quam diximus, indigentiam, providentur a Deo morales inclinationes. Quarum quaedam sunt naturales, cognitionem legis naturalis in omnibus naturaliter consequentes (1ª 2ae, q. 93, a. 6). Aliae sunt habituales acquisitae : hae sunt virtutes morales in individuis ex assuetudine bonorum operum causatae. Aliae sunt actuales, prout in actione virtuosa adest instinctus divinus, quo voluntas creata movetur ad recte volendum. Erraret autem qui hoc triplex genus inclinationum a perceptione veri in moralibus, id est a recto conscientiae iudicio seiungeret. Nam et in iudicio ultimo practico, quod ab ipsa libera electione realiter non distinguitur, cognitio actionis ut actualiter faciendae conformiter ad Legem aeternam, unus actus est cum divinae motionis acceptatione vel denegatione (« Iudicium de hoc particulari operabili, ut nunc, nunquam potest esse contrarium appetitui. » S. Thomas, *De Veritate*, q. 24, a. 2) ; — et in habituali existimatione circa actus morales, consequitur maior vel minor rectitudo cognitionis, maiorem vel minorem penetrationem appetituum sensibilium a moralibus virtutibus (« Qualis unusquisque est, talis finis videtur ei ») ; — et in ipsis principiis legis naturalis, etsi nunquam totaliter exstinguitur synderesis (« la conscience », latius sumpta), at fieri potest ut, progressu vitiorum, paene irreparabiliter obscuretur (« Intemperatus habet ignorantiam circa ipsum finem, in quantum scilicet iudicat hoc esse bonum, ut irrefrenate concupiscentias sequatur. » 2ª 2ae, q. 156, a. 3, ad 1. Cfr *De Malo*, q. 3, a. 9). Haec si intellexeris, perspicies, in materia de conscientia, errare illos qui conscientiae dictamen plane illaesum remanere supponunt cum quis « contra conscientiam » agit. Quantumcumque enim conscientia « remordet », quantumcumque dilucide ostendit aliter esse faciendum, tamen, eo ipso instanti quo quis male agit, moralis eius rerum existimatio corrumpitur, nec conscientia violatur nisi seducendo.

Ope etiam eorum principiorum quae sunt, hoc primo capite, in memoriam revocata, novit homo catholicus mediam, eamque rectam viam obtinere inter duplices excessus doctorum in re morali huius temporis. Generalissime enim loquendo, distinguuntur apud nos duae praecipuae incredulorum in re morali scholae

vel « tendentiae ». Prior est (vel erat : praecipue enim florebat quindecim vel viginti abhinc annis) *formalium* vel Kantianorum, omnia reducentium ad imperativum categoricum conscientiae individuae. Altera est *naturalium*, sive ad liberam individui evolutionem omnia referentium, sive, quod nunc magis arridet, socialiter omnia explicantium, sensumque obligationis ex historia societatis humanae derivantium, et scientiam morum disiungentium a morali categorica. Contra priores igitur, catholica doctrina tenet, legem naturalem in nobis nihil esse nisi irradiationem quandam Legis aeternae, ut dictum est, ideoque sine Deo et religione moralem destitui fundamento. *Per legem naturalem non homo sibi per se conscit, sed Deus,* ut ita loquar, *conscit in homine* (sicut Deus in omni agente vehementius agit quam ipsum agens). Socialibus autem concedimus, necessitatem legis moralis non esse absolutam, sed « condicionatam », « scilicet ex finis suppositione » (S. Thomas, *De Veritate,* q. 17, a. 3). Sed illa « condicionatio » alia est in primis principiis legis moralis, alia in aliis praeceptis quae ad dicta principia comparantur ut conclusiones ad axiomata. Nam, quoad praecepta magis determinata, *gens, saeculum, secta, tribus in me conscit,* quod potest sive ad profectum pertinere, sive ad defectum (cfr 1ª 2ªᵉ, q. 94, a. 4 et 5). Quod autem ad principia prima pertinet, non tantum humanitas historica et phaenomenalis in me conscit, sed etiam essentia humanae naturae formam quandam suam divinae attractioni substernit, qua Creator creaturas omnes ad bonum consequendum attrahit. Et ideo *in iudicio conscientiae conscit in me humanitas,* prout est quaedam divini Boni participatio, et involvit praesumptionem quandam seu suppositionem, me posse, si recte agam, Deum consequi. Realitas autem appetitionis boni, praebens fundamentum legi morali necessariae, — etsi condicionate, non absolute, — ex experientia desumitur ; quod autem verum bonum humanum nusquam nisi in Deo inveniatur, frustra quis ex Sociologia probare tentet : id enim est metaphysicae.

Inter libros innumerabiles his de rebus editos, seligi possunt, de Kantianismo et individualismo Nietzschaeano, A. Fouillée, *Le moralisme de Kant et l'amoralisme contemporain*[2], 1905 ; de

morali sociologica : Lévy-Bruhl, *La morale et la science des mœurs*, 1904 ; A. Bayet, *La morale scientifique*[2], 1907. Ex catholicis, A. de la Barre, *op. cit.* ; S. Deploige, *Le conflit de la morale et de la sociologie*, 1911 ; E. Bruneteau, *La doctrine morale de l'évolution*, 1910 ; Sertillanges, *Saint Thomas d'Aquin*, 1910, t. II, l. VI, ch. 4. Praeterea, commentariola multa in periodicis, ut M. Gillet, O. P., *Le sens commun et la métamorale* (*Revue des sciences philosophiques et théologiques*, IV, 1, 20 ianuarii 1910) ; Fonsegrive, *La morale contemporaine* (*Revue des deux mondes*, t. 226, 1911, 4, p. 580 ss., 785 ss.), etc.

CAPUT II

De Conscientia recta, erronea, dubia.

S. Thomas, *De Veritate*, q. 17, a. 2, 3, 4; 1^a 2^{ae}, q. 19, a. 5 et 6; q. 76; *De Malo*, q. 3, a. 8. S. Alphonsus de Ligorio, *Theologia moralis*, l. I, tr. 1. Beaudouin, O. P., *Tractatus de Conscientia*, cura et studio R. P. A. Gardeil editus, Parisiis, 1911, p. 11, sqq. Frins, S. J., *De Actibus humanis*, t. III : *De formanda conscientia*, Friburgi Brisgoviae, 1911, p. 66, sqq. Praeterea, hunc locum breviter tractant omnes de re morali scriptores, ex. gr. Lehmkuhl, *Theologia moralis*, t. I^{10}, pp. 39 et sqq.

§ 1.

De conscientia recta

Conscientiam rectam solent scriptores diffinire : « quae dictat verum », vel « cuius dictamen cum veritate concordat », vel « quae pronuntiat de re, prouti re ipsa se habet ». Iidem *erroneam* : « quae dictat falsum ut verum », « cuius dictamen a veritate discordat », vel « quae dictat opposito modo atque re ipsa est ». Haec ita in se immediate perspicua sunt, statim ut ex iis procedi possit ad principia practica statuenda de utriusque conscientiae vi obligante.

Quia tamen alicui dubium esse potest, quid significetur nomine huius « rei » conscientiae rectitudinem mensurantis, perinde ac si esset iudicium conscientiae de re subsistente extra animam, sicut substantia corporalis exsistit extra corpus individui cognoscentis ; vel quia de « veritate » actionis simile dubium moveri potest, propter ea quae supra dicta sunt de particulatione et determinatione legis naturalis secundum condiciones uniuscuiusque subiecti, considerandum est, Aristotelem subtilius aliquid pervidisse, cum veritatem rationis practicae diffinivit non

congruentia cum « re », sed congruentia cum appetitu recto[1]. Consonat S. Thomas : « Verum intellectus practici aliter accipitur quam verum intellectus speculativi, ut dicitur in 6° Ethicorum. Nam verum intellectus speculativi accipitur per conformitatem intellectus ad rem... Verum autem intellectus practici accipitur per conformitatem ad appetitum rectum. » (1ª 2ªᵉ, q. 57, a. 5, ad 3). Quod si volumus hanc de veritate morali doctrinam plenius et determinatius evolvere, cuius initia statuit Aristoteles, procedi poterit sic :

Dicendum videtur, « appetitum rectum », de quo hic agatur, esse appetitum rectum *finis*, ad quem mensurari debeat prudens mediorum determinatio, quae est rectum iudicium conscientiae. Sic rem accipit S. Thomas[2]. Et id quidem intellegi *primo* potest de appetitu finis *ultimi*, qui appetitus est in voluntate. Sic igitur intellegendo, rectitudo appetitus mensurabit rationem practicam, quia non poterunt media recte determinari, nisi supposita bona voluntatis habitudine ad finem (quae aut erit a natura, aut ad

1. Ἐπειδὴ ἡ ἠθικὴ ἀρετὴ ἕξις προαιρετική, ἡ δὲ προαίρεσις ὄρεξις βουλευτική, δεῖ διὰ ταῦτα τόν τε λόγον ἀληθῆ εἶναι καὶ τὴν ὄρεξιν ὀρθήν, εἴπερ ἡ προαίρεσις σπουδαία, καὶ τὰ αὐτὰ τὸν μὲν φάναι τὴν δὲ διώκειν. Αὕτη μὲν οὖν ἡ διάνοια καὶ ἡ ἀλήθεια πρακτική, τῆς δὲ θεωρητικῆς διανοίας καὶ μὴ πρακτικῆς μηδὲ ποιητικῆς τὸ εὖ καὶ κακῶς τἀληθές ἐστιν καὶ ψεῦδος· τοῦτο γάρ ἐστιν παντὸς διανοητικοῦ ἔργον, τοῦ δὲ πρακτικοῦ καὶ διανοητικοῦ ἡ ἀλήθεια ὁμολόγως ἔχουσα τῇ ὀρέξει τῇ ὀρθῇ (ARISTOTELES, *Ethica Nicomachea*, l. VI, II, 1139 a, 22-31).

2. « Philosophus ibi loquitur de intellectu practico, secundum quod est consiliativus et ratiocinativus eorum quae sunt ad finem ; sic enim perficitur per prudentiam. In his autem quae sunt ad finem, rectitudo rationis consistit in conformitate ad appetitum finis debiti ; sed tamen et ipse appetitus finis debiti praesupponit rectam apprehensionem de fine, quae est per rationem. » (1ª 2ªᵉ, q. 19, a. 3, ad 2). Alibi : « Videtur... hic esse quoddam dubium. Nam si veritas intellectus practici determinatur in comparatione ad appetitum rectum, appetitus autem rectitudo determinatur per hoc quod consonat rationi verae, ut prius dictum est, sequitur quaedam circulatio in dictis determinationibus. Et ideo dicendum est quod appetitus est finis, et eorum quae sunt ad finem : finis autem determinatus est homini a natura, ut scilicet in tertio habitum est. Ea autem quae sunt ad finem, non sunt nobis determinata a natura, sed per rationem investiganda. Sic ergo manifestum est quod rectitudo appetitus per respectum ad finem est mensura veritatis in ratione practica. Et secundum hoc determinatur veritas rationis practicae secundum concordiam ad appetitum rectum. Ipsa autem veritas rationis practicae est regula rectitudinis appetitus, circa ea quae sunt ad finem. Et ideo secundum hoc dicitur appetitus rectus, qui prosequitur quae vera ratio dicit. » (*In VI Ethic.*, l. II, ed. VIVÈS, t. XXV, p. 487).

rectam intellectus apprehensionem consequetur) ; sic ergo « res » moralis, quae est obiectum conscientiae, non accipietur ut aliquid complete extra animam subsistens, sed semper ut cointellecta cum subiecto recte appetente. Sed *secundo* etiam dicendum est, ita veritatem rationis practicae in conformitate ad appetitum rectum esse sitam, ut nomine « appetitus » accipi debeat non sola dispositio voluntatis quae est ad finem ultimum, sed etiam dispositio appetituum sensitivorum (« irascibilis » et « concupiscibilis »), quibus homo recte se habet ad fines virtutum moralium (1[a] 2[ae], q. 56, a. 4, ad 4), ad quos fines singulae actiones considerantur ut media. Qui igitur voluntate se in finem ultimum ordinat, nondum ex hoc competentem mensuram praestabit rationi practicae, sed eo imperfectiorem, quo nondum edomitae passiones sensitivi legi mentis magis repugnabunt. Ex hac autem necessaria immanentia non solius voluntatis spiritualis a ratione regulatae, sed etiam appetitus sensitivi convenienter assueti, in diffinienda veritate practica, patet appetitum rectum vere mensuram esse eiusdem veritatis, qua appetitus rectus est, et quin eiusmodi mensuratio ad regulam conceptualem et expressis verbis adaequate determinabilem possit tandem reduci. Quod consonat cum illa aristotelica doctrina, virtuosum virum esse mensuram virtutis[1]. [His consequenter adverte : si quis nomine « appetitus » accipere vellet non solam potentiam appetitivam, cuius actus ad cognitionem consequens est, sed ipsam naturam potentialem hominis, quae est inclinatio quaedam subsistens ad Bonum divinum determinate participandum, is dicere posset, appetitu recto mensurari etiam veritatem practicam de fine ultimo : is enim finis est in satiatione inclinationis naturalis hominis qua homo est.]

Quoniam tamen theologia moralis plerumque curat de peccato vitando, non de medio virtutis exquisite attingendo ; vel, aliis verbis, quia iudicia conscientiae quae theologo consideranda proponuntur potius sunt de licito aut illicito quam de meliore bono, ideo ad multa sufficiunt diffinitiones communes conscientiae

1. Ἔστιν ἄρα ἡ ἀρετὴ ἕξις προαιρετική, ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς, ὡρισμένῃ λόγῳ καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε (*Eth. Nicom.*, l. VI, c. VI, 1107 a, 1. Cfr c. IV, 1105 b, 6).

rectae, secundum quas « res moralis » in quodam quasi *esse* absoluto consideratur. Etsi enim res moralis, seu actio agenda, non desinit esse homini relativa, at, in illis simplicioribus determinationibus, est relativa homini *qua homo est*, et ideo satis erit si cointellegetur appetitui communi qui, cum in omnibus similis naturaliter inveniatur, ab omnibus etiam sponte cointellegitur, cum procedunt ad officia determinanda. Ea tamen quae dicta sunt, utilia sunt, non tantum ut recte existimetur de conscientia culpabiliter erronea (secundum ea quae tacta sunt p. 13), sed etiam ut iudicetur de ulteriore ac progressiva rectificatione conscientiae iam rectae, quod pertinet ad asceticam, quae pars quaedam nobilis est moralis theologiae : quod autem ea ad artem propius accedat quam ad scientiam, patet ex individualitate ipsa obiecti eius, cuius causa est in hoc paragrapho declarata.

Conscientiam rectam ligare et obligare (ligare dicitur prohibens ne violetur, obligare praecipiens ut oboediatur) liquet ex dictis in cap. I. Est enim applicatio propria legis aeternae et naturalis homini, qui subiectus utrique legi est (cfr S. Thomam, *De Veritate*, q. 17, a. 3). Liquet etiam non triplicem, sed unam et eandem esse obligationem, legis aeternae, legis naturalis, conscientiae.

§ 2.

De conscientia erronea

I. Non sola conscientia recta, sed ipsa etiam conscientia erronea (« quae dictat falsum tanquam verum », vel quae dictat non conformiter appetitui recto) ligat ne contra eam agamus. Vel, ut verbis utamur S. Thomae, « voluntas discordans a ratione errante est mala » (Cfr 1ª 2ªᵉ, q. 19, a. 5).

Idem rem sic probat : « Quia obiectum voluntatis est id quod proponitur a ratione, ut dictum est, ex quo aliquid proponitur a ratione ut malum, voluntas, dum in illud fertur, accipit rationem mali. Hoc autem contingit non solum in indifferentibus, sed etiam in per se bonis vel malis. Non solum enim id quod est indifferens, potest accipere rationem boni vel mali per accidens, sed etiam id quod est bonum potest accipere rationem mali, vel illud quod

est malum, rationem boni, propter apprehensionem rationis : puta abstinere a fornicatione, bonum quoddam est ; tamen in hoc bonum non fertur voluntas, nisi secundum quod a ratione proponitur. Si ergo proponatur ut malum a ratione errante, fertur in hoc sub ratione mali. Unde voluntas erit mala, quia vult malum, non quidem id quod est malum per se, sed id quod est malum per accidens, propter apprehensionem rationis. Et similiter credere in Christum est per se bonum... si a ratione proponatur ut malum voluntas feretur in hoc ut malum... Unde dicendum, quod simpliciter omnis voluntas discordans a ratione, sive recta, sive errante, semper est mala. » *(l. c.)*. Brevius alibi : « Non videtur... possibile quod aliquis peccatum evadat, si conscientia, quantumcumque errans, dictet aliquod esse praeceptum Dei quod sit indifferens sive per se malum, si contrarium, tali conscientia manente, agere disponat. Quantum enim in se est, ex hoc ipso habet voluntatem legem Dei non observandi ; unde mortaliter peccat. » *(De Veritate,* q. 17, a. 4. — De voce « mortaliter », intellege : si praeceptum apprehenditur ut grave, sicut per se patet.)

II. « Secundum hoc... ligare conscientia dicitur, quod aliquis, nisi conscientiam impleat, peccatum incurret ; non autem hoc modo, quod aliquis implens recte faciat. » (*De Veritate,* q. 17, a. 4), et ideo, conscientia erronea, quae semper ligat, non semper a peccato excusat, sed in tantum peccatum tollit, in quantum causat involuntarium.

Sequens igitur conscientiam erroneam excusatur a peccato si ignorantia eius est invincibilis, secus si vincibilis.

Invincibilis ignorantia dicitur, secundum quod eius sublationis principium in nobis non est, vincibilis, secundum quod est. Diffiniunt etiam communiter invincibilem : quae morali diligentia tolli non potest ; vincibilem : quae tolli moraliter potest ac debet. Speciem duplicem ignorantiae invincibilis P. Frins sic explicat : « Adest... *stricte,* quoties nobis etiam mere naturalis cogitatio de malitia actionis abest, seu abest omnis cogitatio de periculo eius aut omnis de ea dubitatio aut scrupulus... *Late,* quando adhibita

debita diligentia ad inveniendum verum, nihil, quod vere et certo nos obliget, in re detegimus. » (*l. c.*, p. 4).

Excusare a peccato conscientiam erroneam in casu ignorantiae invincibilis, demonstratur ratiocinio cum praecedente consimili : quia nempe eatenus incurritur peccatum, quatenus voluntas tendit in malum sub ratione mali ; porro voluntas eo modo tendit in obiectum, quo modo ei ab intellectu offertur (Cfr 1ª 2ªᵉ, q. 19, a. 6).

Ignorantiam invincibilem dari posse *circa ius positivum divinum*, eamque a peccato excusare, ita perspicuum esse videtur, ut serio non possit in dubium revocari. (Veterum quorundam nomina qui aliter sensisse videntur recenset Frins, p. 18, n. 1). Cfr S. Augustinum, *In Ioannem*, tr. 89 (PL. xxxv, 1857) ; S. Thomam, 2ª 2ªᵉ, q. 10, a. 1.

Ignorantia invincibilis *circa legem naturalem* quaenam esse possit, explicat S. Thomas, 1ª 2ªᵉ, q. 94, a. 4 et 6. Admittit enim legem naturalem, cum deleri non possit a cordibus hominum in universali quantum ad prima principia communia, aboleri tamen posse « quantum ad quaedam propria, quae sunt quasi conclusiones principiorum communium », « quantum ad praecepta secundaria », et hoc, non tantummodo propter corruptas singularium hominum consuetudines, sed, vel propter consuetudinem totius gentis (sicut patet ex exemplo quod affert latrocinii apud Germanos), « vel propter malas persuasiones, eo modo quo etiam in speculativis errores contingunt circa conclusiones necessarias ». Unde praeberi videntur condiciones ignorantiae invincibilis. Consonat locuples experientia. Nam de indissolubilitate matrimonii, singularitate uxoris, prohibitione absoluta fornicationis et peccati venerei solitarii, etc., facile disputatorem bonae fidei invenias, quem difficulter convincas, et quem fortasse dimittes propriae persuasioni inhaerentem credentemque nos ex prisca nostrae societatis consuetudine haec ad legem naturalem pertinere arbitrari. Idem patet ex theologis, quorum quidam in iure naturae determinando circa conclusiones necessarias erraverunt (Cfr ex. gr. Denzinger, *Enchiridion Symbolorum*, 1199 ; cfr ipsum Augustinum in loco noto de adulterio, PL. xxxiv, 1254, *De sermone*

Domini in monte, l. I, c. XVI, n. 50). Idem patet in pueris : nonnunquam enim a confessariis interrogati inveniuntur quaedam admisisse quae sint mala secundum ius naturale, et tamen caruisse omni suspicione culpae. — In talibus itaque dubitandum non videtur, quin adesse possit ignorantia invincibilis circa conclusiones necessarias legis naturae : inducitur ergo involuntarium, homoque excusatur a peccato (vel a peccato gravi, si forte in solam rei gravitatem eius invincibilis ignorantia ferebatur).

In contrarium sunt baianae quaedam et iansenisticae opiniones, quae sunt a Pontificibus notatae, nempe : « In statu naturae lapsae ad peccatum mortale (*vel* formale, *Viva*) et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali et voluntate Adami peccantis » (Denz. 1291). « Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali » (Denz. 1292). « Infidelitas pure negativa in his, (in) quibus Christus non est praedicatus, peccatum est » (ipsius Baii, Denz. 1068. Cfr eiusdem, 1067, Lutheri, 771, 772, 775, 776. Iansenium in *Augustino,* t. II, *De statu naturae lapsae,* l. II, c. II). Ab his adverte non negari adesse ignorantiam invincibilem : sed negatur ea induci involuntarium quod excuset a peccato. Re enim vera secundum eos, principium *sublationis* dictae ignorantiae in nobis non est, sed eiusdem *positio* in nobis satis est ut nobis imputetur, quia fuit in Adamo[1]. Sed hoc falsum est. Nam sicut iis qui per gratiam renati sunt non imputatur ad culpam si remanet in eis aliquid ignorantiae quae est ut poena peccati in totam nostram naturam inducta, sic iis qui non sunt iustificati recte quidem im-

1. Quid ipse Augustinus in ea re senserit, valde controvertitur. Locos collegerunt et in suam uterque partem sunt interpretati IANSENIUS, *l. c.*, cap. 2, 3, 4, 5 ; FRINS, *op. cit.*, pp. 43-56. Vide PL. XXXII, 1295 ; XXXIII, 186, 883, 884 ; XLIV, 345, 255, 243, 885 ; XLV, 1066, 1118. Negari non potest, progressum factum esse post Augustinum in hac doctrina, quippe quae cum universa doctrina de peccato originali in omnibus, etiam puerulis, puniendo, necessario connectatur. Ad historiam doctrinae, vide etiam S. BERNARDUM, *De Baptismo aliisque quaestionibus* (seu *Epist.* 77), cap. IV, n. 16-17, PL. CLXXXII, 1041. Cfr *Tract. de erroribus Abaelardi* (seu *Epist.* 190), n. XI, *ibid.*, 1053. Denique, adversus rigoristas sui temporis locos et rationes collegit S. ALPHONSUS in *Dissertatione, op. laud.*, lib. I, tr. 2, cap. 4, dub. 1.

putatur ad culpam defectus caritatis seu gratiae (debuerunt enim se ad Deum ordinare, et sic consequi caritatem, cfr S. Thomam, 1^a 2^{ae}, q. 89, a. 6, etc.) sed non recte imputaretur ad culpam defectus ille (error) qui et supponitur viribus naturae esse invincibilis, et ipsa superveniente caritate in praesenti oeconomia per se non tollitur. De omni igitur tali ignorantia invincibili dicendum, quod S. Thomas dicit de infidelitate eorum, qui nihil de Christo audierunt : « *non habet rationem peccati*, sed magis poenae, quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consecuta est » (2^a 2^{ae}, q. 10, a. 1).

Cum autem constet, eum qui contra conscientiam invincibiliter erroneam operetur, peccare, quaeritur etiam num is qui secundum eam agat, non tantum a peccato *excusetur*, sed possit etiam *mereri*. Id videtur omnino affirmandum. Nam primo quidem, si error invincibilis est *circa facta*, res est per se perspicua : nemo ex. gr. dicet, puerum qui oboediat ei quem errore invincibili credit esse patrem, meritum filialis oboedientiae non consequi : fertur enim eius voluntas in bonum huius virtutis tanquam in finem, finis autem tribuit formam voluntati (cfr 2^a 2^{ae}, q. 23, a. 8, 1^a 2^{ae}, q. 18, a. 7). Sed secundo etiam, si error invincibilis est *circa ius*, fertur voluntas hominis in bonum legis tanquam in finem, et valet eadem ratio. Non est tamen arbitrandum, parem prorsus esse condicionem moralem eius qui conscientiam rectam sequitur, et eius qui invincibiliter erroneam. Praecipua quidem in moralibus est dispositio voluntatis, ad quam consequitur meritum (ut dictum est), quod est in unoquoque secundum mensuram caritatis. Sed, praeter dispositionem voluntatis et meritum, considerandа est etiam dispositio totius, ut sic dicam, humanae machinae, cuius recta habitudo se habet in moralibus ad modum condicionis exercitii, sicut alibi explicatum est. Porro, si, voluntate recta exsistente, reliquae humanae vires non se habent conformiter veritati ordinis obiectivi, sicut fit in conscientia invincibiliter erronea, id potest in discrimen adducere ipsam rectitudinem voluntatis, vel, continuatione quadam, moralem existimationem in aliis rebus corrumpere. Ex. gr., in errore de facto, si quis consuevit inculpabiliter accedere ad non suam,

quam credit esse suam, fieri poterit ut etiam posteaquam veritatem cognoverit, pristina consuetudine remaneat devinctus. Exemplum in errore de iure : si quis crediderit mendacium esse licitum ad servanda magna quaedam bona proximis, ut vitam vel fortunas, fieri poterit ut cogitans mendacium per se non esse peccatum, iam mendaciis officiosis passim indulgeat et sic in hypocrisim deveniat, etc. Sic igitur, etiamsi asserimus hominem ex conscientia erronea operantem mereri posse, verum tamen manet, malum quoddam esse in eius actione ex singulari defectu (cfr S. Thomam, 1ª 2ᵃᵉ, q. 19, a. 5, ad 1), nec tantum qua « obiective » seu « in se » non est ordini conformis, sed etiam qua vitam eius moralem nata est, ipso defectu obiectivae conformitatis, in discrimen adducere. Huius autem periculi possibilitas est ex peccato originali, quo factum est ut in statu praesenti, secundum doctrinam saepe a nobis allatam, rectificatio voluntatis non continuo totum hominem rectificet. Hoc tamen fide scimus ad divinam Providentiam pertinere, neminem ut iniuste damnet, neve patiatur quemquam supra vires tentari. Cuius etiam ductu freta piorum simplicitas, quemadmodum ascetica traditio recte docet, exspectat ut a laqueis errorum suorum liberetur, sibique tandem omnia cooperentur in bonum.

Conscientia igitur invincibiliter erronea est regula agibilium, etsi per accidens ; tenemur sequi praecipientem, sequi licet permittentem, eamque sequentes meremur, si sumus in gratia constituti.

III. Qui operatur cum ignorantia vincibili, id est non tollendo ignorantiam quam tollere potest ac debet, vel cum errore vincibili, id est non tollendo falsam opinionem quam tenet cum aliqua formidine, et ideo tollere debet quantum potest, re vera agit cum conscientia dubia, et consequenter peccat, sicut infra dicetur. Quod si nulla esset dubitatio, esset ignorantia invincibilis. Adverte autem fieri posse « ut conscientia prius vincibiliter erronea, actu nunc sit erronea invincibiliter, nimirum si actu nunc nullo modo occurrit suspicio de obligatione melius inquirendi, quanquam antea occurrerat. Quod si obtinet, actio ex tali conscientia orta, formaliter peccaminosa in se non est, attamen est peccaminosa

formaliter in causa, sc. in errore voluntarie antea non excusso, in quo futurae actiones, adeoque etiam praesens, de qua agitur, aliquo modo in confuso praevisae sunt. » (Lehmkuhl, *op. cit.*, n. 45, p. 42). Ex hoc rationem intellegis cur in usu theologico error vel ignorantia *invincibilis* idem passim valeat atque *inculpabilis*. Etsi enim fortasse fuit culpabilis in causa, actio tamen singularis de qua iudicium conscientiae fertur, nec voluntarium nec culpam auget ullo modo. Ipsas tamen vocum notiones presse accipiendo, ignorantia invincibilis erit, cuius *sublationis* principium in me nunc non *est*, ut supra dictum est ; inculpabilis vero, cuius *positionis* principium in me non *fuit*. Ignorantia autem invincibilis hic et nunc, et ideo excusans a nova culpa, non continuo, ut patet, excusat a nova obligatione (ex. gr. restitutionis) si fuit in sua causa culpabilis.

Omnis ignorantia invincibilis stricta, cum homo secundum eam agit, est cum errore, quia homo non tantum nescit se nescire, sed iudicat se satis scire ea quae pertinent ad actionem prudenter ponendam.

§ 3.

De conscientia dubia, scrupulosa, laxa

Proprie loquendo, *conscientia dubia* nulla est. Dictum est enim, conscientiam esse applicationem scientiae ad actum. Porro, in dubio, scientia non est, ergo non applicatur. Communiter tamen dicitur conscientia dubia, in moralibus, dispositio mentis eius qui « suspendit assensum pro utraque parte dubii, remanetque anceps et haesitans... Dubium vero... negativum est, quando ex neutra parte occurrunt rationes probabiles, sed tantum leves. Positivum est, quando pro utraque parte, vel saltem pro una, adest grave motivum... » (S. Alphonsus, *l. c.*, tr. I, n. 20). Loquentes de conscientia dubia, solum consideramus dubium practicum, quo nempe dubito de honestate actionis particularis ponendae. De quo sequentia statuuntur :

I. Nunquam licet agere cum conscientia dubia. Nam, sicut

loquitur Frins (*loc. cit.*, p. 66) « ut honeste agere possimus, requiritur dictamen conscientiae de actionis ponendae bonitate » quod dictamen deest in conscientia dubia, ex eius diffinitione. Probatur assumptum. Propria rectitudo actionis humanae qua humana est, est ut conformetur rationi. Porro, id quo actio humana rationi conformatur, est iudicium conscientiae, eam cum lege naturali relatam comprobantis. S. Thomas, 1ª 2ªᵉ, q. 21, a. 1 : « Debitus... ordo... secundum aliquam regulam mensuratur... In his... quae aguntur per voluntatem, regula proxima est ratio humana ; regula autem suprema est lex aeterna. Quandocumque ergo actus hominis procedit in finem secundum ordinem rationis et legis aeternae, tunc actus est rectus ; quando autem ab hac rectitudine obliquatur, tunc dicitur peccatum. » Quod si quis cum conscientia dubia agit, in actione est defectus conformitatis cum regula proxima, quae est humana ratio ; fieri quidem potest ut in actione sit conformitas materialis cum regula suprema, quae est lex aeterna, sed huiusmodi conformitas materialis et per accidens non ea est quae ab homine qua tali exspectatur ; manet igitur actio moraliter mala.

Idem sic etiam probatur : « voluntas » eius qui agit cum conscientia dubia « ita opus aggreditur, ut parata sit illud exsequi, sive sit, sive non sit contra legem Dei, quae voluntas suapte natura mala est, atque divinae maiestati iniuriosa » (Beaudouin, *op. cit.*, p. 50). Ratione *mali* ab opere non sublata, homo illud accipit ut *agibile*.

II. Manente conscientia dubia, debet homo partem eligere tutiorem. Si quidem fieri potest, homo conscientiam certam sibi efformet, dubium practicum deponendo, vel meliore legis et facti consideratione, vel ope principii reflexi, sicut infra dicemus, ubi de probabilitate. Tunc itaque dicitur esse pars tutior eligenda, cum conscientia certa sic efformari nequit, sed manet dubitatio. Tutior pars inter contradictorias ea est quae periculum laedendae legis, etiam materialiter, ab agente removet (cfr Frins, *op. cit.*, p. 135, Beaudouin, *op. cit.*, p. 51, etc.). Sic si dubito de omissione, e. g. num sit hodie missa ex praecepto audienda, tutius est audire ;

si dubito de commissione, e. g. num liceat carnes hodie manducare, tutius est abstinere. Principium hoc secundum immediate consequitur ex praecedente ; nisi enim partem tutiorem eligo, cum conscientia dubia operor (omitto vel committo).

III. Si ex utraque parte apparet peccatum (nec potest hic et nunc dubitatio solvi, sed est hic et nunc invincibilis) : tunc eligatur id quod videtur esse minus peccatum, aliis verbis, praeferatur, ceteris paribus, lex superior inferiori. Si gravitas relativa discerni nequit, eligatur utrumlibet, nec peccabitur, quia nunquam adest necessitas peccandi (S. Alph., tr. I, n. 10). « Si... quod videtur gravius, eligitur, peccatum committitur, at secluso affectu pravo, non peccatur graviter, si excessus ille non ut gravis apprehenditur » (Lehmkuhl, *op. cit.*, n. 52). Bene adverte, conscientiam perplexam non esse eius qui possit *aut* hoc vel illo modo agere, ubi utrimque apparet peccatum *aut* ab agendo abstinere, sed illius qui, sive committat sive omittat, sibi utrimque videatur peccaturus, ut si quis e. g. iuravit se hominem occisurum, et consequenter timet ne aut periurus sit, aut homicida.

IV. Conscientia scrupulosa, sicut ab erronea accurate distinguenda est, sic non est cum dubia simpliciter eadem dicenda. Dubitat is quidem qui scrupulo turbatur, sed ita dubitat, ut ex aliqua parte dubium ei imprudens appareat, ac sic principium habeat quo dubium posset deponere, nisi vani timores concitarentur[1]. S. Alphonsus : « Conscientia scrupulosa est ea, quae ob levia motiva absque rationabili fundamento (scrupulus enim est inanis apprehensio) saepe formidat de peccato, ubi re vera non adest. » (n. 11). Pertinet itaque per se scrupulus ad ignorantiam vincibilem, ideoque est deponendus. Quod si vani timores ita mentem perturbarunt, ut fiat status dubii invincibilis, neque consilium peti possit, tunc valent leges conscientiae dubiae. Si

1. « Venit mihi extrinsecus cogitatio me peccasse, et ex altera parte mihi videor non peccasse : tamen sentio in hoc turbationem, in quantum dubito et in quantum non dubito : iste est proprie scrupulus. » (S. Ignatius a Loyola, *Exercitia, Regulae de Scrupulis*, reg. 2).

in mentis habitum transiit, periculosior est conscientia scrupulosa quam si de uno singulari actu iudicium perturbat. Vide S. Alphonsum, n. 11-19, et ascetas.

V. Conscientiae scrupulosae *laxa* opponitur, quae ob levia motiva sine rationabili fundamento iudicat non esse peccatum, vel non esse grave peccatum, ubi re vera adest. Pertinet ipsa etiam, et qua est habitualis, et interdum qua actualis, ad ignorantiam vincibilem, adestque obligatio eam deponendi, etiamsi deprehendit homo se hic vel illic *novam* culpam non admisisse, propter ignorantiam in causa culpabilem, sed actualiter invincibilem.

N. B. — Sciunt prudentes confessarii, in iudiciis conscientiae, saepe implicita ab explicitis esse distinguenda. Fieri ex. gr. potest, ut scrupulosus, vel puerulus, dicat se ad opus processisse ex conscientia prohibente vel dubia, cum tamen intime senserit, infra dubitationum vel argumentorum superficiem, rem sibi licere. Sic e. g. de accessu ad Eucharistiam in quibusdam, qui se postea sacrilegii accusant.

§ 4.

De loco S. Pauli, ad Romanos 14

Principia quae de conscientia recta, erronea, dubia tradidimus, apte illustrantur, immo theologice probantur ex loco noto S. Pauli ad Romanos 14, de idolothytorum manducatione. Ad controversiae materiam quod attinet, cfr *I Cor.*, 8-10, Prat, *La théologie de saint Paul*, t. I, p. 157-162. Praecipua cura Apostoli in eo versatur, ut ostendat, non omnia in scientia esse sita, sed, praeter rectam rei cognitionem, maximam esse rationem habendam scandali parvulorum. Quae ad conscientiam formaliter spectatam pertinent, comprehenduntur v. 23 : *ὁ δὲ διακρινόμενος ἐὰν φάγῃ κατακέκριται, ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως· πᾶν δὲ ὃ οὐκ ἐκ πίστεως ἁμαρτία ἐστίν.* Ubi *διακρινόμενος* significat non, ut Vulgata habet : *qui discernit*, sed : *qui dubitat*. *Διακρίνειν* enim activa voce vim habet *diiudicandi* (Mt., 16, 3 ; *Act.*, 15, 9 ; *I Cor.*, 4, 7 et 6, 5) ; media,

διακρίνεσθαι vim habet *disputandi*, seu contendendi (*Act.*, 11, 2 ; *Jud.*, 9 ; *Jac.*, 2, 4) aut *dubitandi*, quo sensu proprie opponitur firmitati fidei (Mc., 11, 23, de monte transferendo : *ὃς ἂν εἴπῃ τῷ ὄρει τούτῳ· ἄρθητι... καὶ μὴ διακριθῇ ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ ἀλλὰ πιστεύῃ...* ; Mt. 21,21 ; *Rom.*, 4, 20, (Ἀβραὰμ) *οὐ διεκρίθη τῇ ἀπιστίᾳ, ἀλλὰ ἐνεδυναμώθη τῇ πίστει* ; *Jac.*, 1, 6, *αἰτείτω δὲ ἐν πίστει, μηδὲν διακρινόμενος* ; et, ut videtur, *Jud.*, 22)[1]. *Πίστις* autem non fidem significat qua universae christianae veritati adhaereo et Deo placeo (quapropter erravit Augustinus inde deducens *Contra Iulianum*, IV, c. 3, n. 27, 32, PL. XLIV, 751, omnia infidelium opera esse peccata) ; sed significat conscientiae persuasionem de actionis liceitate, non tamen, in casu, seorsim a fide Christi sumptam, cum Paulus agat de solis christianis. « Le mot « foi » est pris dans un sens qui le rapproche fort du mot « conscience ». Il désigne la foi intérieure [?], les convictions religieuses du chrétien en tant qu'elles régissent toute sa vie morale... Tout ce qui dans la conduite d'un croyant n'est pas nettement autorisé par ses convictions religieuses intérieures, tout cela est péché. » (Lemonnyer, *Épîtres de S. Paul*, I, p. 330-331). Chrysostomus hic : *ὅταν γὰρ μὴ θαρρῇ, φησὶ, μηδὲ πιστεύῃ ὅτι καθαρὸν, πῶς οὐχ ἥμαρτε* ; Idem in v. 22 : *Πίστιν δὲ ἐνταῦθα οὐ τὴν περὶ δογμάτων, ἀλλὰ τὴν περὶ τῆς προκειμένης ὑποθέσεως λέγει.* (*Hom.* 26, *in Epist. ad Rom.*, n. 3 ; PG. LX, 640). — Haec cum ita sint, patet, secundum mentem Apostoli, eum qui ex conscientia dubia operetur, peccare ; peccare etiam eum qui contra conscientiam quomodocumque operetur, cum requiratur ad bonitatem actionis ut a « fide » procedat, h. e. ut cum lege Dei a propria conscientia comparata, approbetur.

---

1. Sic CHRYS., *in Rom.*, 4, 20 (*Hom.* 8, n. 5 ; PG. LX, 461) : οὐ διεκρίθη· τουτέστιν, οὐδὲ ἐνεδοίασεν, οὐδὲ ἀμφέβαλε... Hos omnes locos collegit SANDAY et HEADLAM, *The international critical commentary, Romans*, p. 114-115.

CAPUT III

De Probabilismo historice.

Conscientia probabilis, presse loquendo, nulla est, neque tenet ullus catholicus doctor licitum esse homini operari, si probabilitatem tantum habeat de liceitate actionis hic et nunc ponendae [1]. In usu tamen scriptorum, « conscientia probabilis est, qua quis innixus aliqua opinione probabili, format sibi practicum dictamen rationis ex certis principiis reflexis, sive concomitantibus ad licite operandum » (S. Alphonsus, *l. c.*, n. 40), vel, brevius, « probabilis dicitur conscientia ex opinione speculative probabili quae, mediante principio reflexo, indirecte fit practice certa » (Beaudouin, *op. cit.*, p. 65). Conscientia igitur proprie dicta, i.e. sententia de hac actione ponenda, semper certa esse debet, etiam secundum Probabilistas. Sed nititur opinioni probabili, mediante principio reflexo. Aliquod principium reflexum, quo tolleretur practica dubitatio, iam commemoravimus ubi de conscientia perplexa. Diximus enim eum, qui dubitet de utriusque partis liceitate, nec dubium tollere directe possit, neque perspicere, utra pars sit tutior, utrumlibet recte eligere : pronuntiat enim ipse communis hominum sensus, eum qui sic agat, non peccare, *innixus videlicet principio reflexo*, nemini incumbere peccandi necessitatem in particulari operabili. Num vero liceat, non tantum ubi utrimque videtur esse peccatum, sed etiam ubi obligatio non

---

1. In ea re saepe errant scriptores non catholici, non tantum crassiores illi in ephemeridibus et commentariolis, sed etiam qui videntur esse lautiores : « Der für uns hier allein in Betracht kommende moralische Probabilismus besteht in dem Grundsatze, bei Akten sittlicher Selbstbestimmung sich *nicht nach dem Gewissen*, sondern nach dem wahrscheinlich Richtigen, d. h. nach dem durch irgendwelche vorbildliche oder Lehr-Autorität Empfohlenen, zu richten. » (art. *Probabilismus*, in *Realencykl. für protest. Theol. u. Kirche*, t. XVI, p. 67). Apud alios multos, ex. gr. apud VOLTAIRE (*Dialogues*, XXVI, 10e entretien), traductos probabilistas invenias quasi docerent, licitum esse ex conscientia dubia operari.

apparet certa, principio reflexo uti, ut conscientia practice certa de inexistentia obligationis efformetur, id agitur cum tractant de « conscientia probabili ». Circa quod, varia, ut aiunt, « systemata moralia » propugnarunt theologi.

Brevem conspectum historiae probabilismi ante Innocentium XI, cum dissertatione de eiusdem Pontificis celebri decreto, et de aequiprobabilismo, invenies apud Franciscum Ter Haar, C. ss. R., *Venerabilis Papae Innocentii XI de Probabilismo Decreti Historia et Vindiciae*, Tornaci et Parisiis, 1904, pp. 165. Idem germanice : *Das Decret des Papstes Innocenz' XI über den Probabilismus*, Paderborn, 1904, pp. 204. Brevius rem totam complectitur Franc. Schindler, *Moralsysteme*, in *Kirchliches Handlexikon*, lief. 33, col. 1029-1032. Ecclesiae sunt infensi scriptores articulorum *Probabilisme*, in *La Grande Encyclopédie ; Probabilismus*, in *Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche*, t. XVI. Fusiorem historiam, eandemque doctrinae catholicae inimicam, scripsit Doellinger cum Reusch : *Geschichte der Moralstreitigkeiten in der römischen Kirche seit dem sechzehnten Jahrhundert*, 2 vol., München, 1889.

Etsi dicta Patrum et theologorum antiquorum non desunt[1],

---

1. Praecipua haec afferuntur : S. AUG., l. 22, *contra Faustum Manichaeum*, c. 75 (et sumpta sunt in capite « Quis culpatur », causa 23, q. 1): « Cum ergo vir iustus, si forte sub rege homine etiam sacrilego militet, recte poscit illo iubente bellare civicae pacis ordinem servans ; cui quod iubetur, vel non esse contra Dei praeceptum certum est, *vel utrum sit, certum non est*, ita ut fortasse reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi : quanto magis in administratione bellorum innocentissime diversatur, qui Deo iubente belligerat... » (PL. XLII, 448). Idem *Ep.* 54, *ad Ianuarium*, c. 2, n. 2 (PL. XXXIII, 200) ; — *De coniugiis adulterinis*, l. I, c. 26 et 28 (PL. XL, 469-470) ; — *De fide et operibus*, c. 19, n. 35 (PL. XL, 220). Idem (affertur hic contra probabilismum) : « Graviter peccaret in rebus ad salutem animae pertinentibus vel eo solo, quod certis incerta praeponeret » (*De baptismo contra Donatistas*, l. I, c. 3, cfr c. 5 ; PL. XLIII, 110). S. GREGORIUS NAZIANZENUS, contra Novatianos viduas iuvenes a nuptiis prohibentes : τίς ἡ ἀπόδειξις ; ἢ δεῖξον, ἢ μὴ κατάκρινε. Εἰ δὲ ἀμφίβολον, νικάτω τὸ φιλάνθρωπον. (*Or.* 39, n. 19 ; PG. XXXVI, 357). S. BERNARDUS : « Ibi unusquisque in suo sensu securus abundat, ubi aut certae rationi, aut non contemnendae auctoritati quod sentitur non obviat » (*Tract. de Baptismo*, c. 5, n. 18 ; PL. CLXXXII, 1043). Ex S. THOMA affertur *Quodl.* 8, a. 13 : « Ex conscientia obligatur aliquis ad peccatum, sive habeat certam fidem de contrario eius quod agit, sive habeat opinionem cum

quae pro sua quisque doctrina de probabilitatibus conatur interpretari, recte tamen initium fit historiae probabilismi a Bartholomaeo de Medina, O. P. († 1581). Is scribit, anno 1577, in 1am 2ae, q. 19, a. 6, concl. 3 : « Si est opinio probabilis, licitum est eam sequi, licet opposita probabilior sit », probabilem intellegens « quam asserunt viri sapientes et confirmant optima argumenta ». Addit etiam, quod nunc teneri nequit : « In omnibus negotiis, etiam magni momenti et in maximam iniuriam tertii, licitum est sequi opiniones probabiles. Ergo etiam in materiis sacramentorum. »

Post Medinam multi inveniuntur qui probabilitatem tueantur, coarctando tamen vel probabilitatis notionem, vel materiam in qua legitime principium applicetur. Hoc ex. gr. Bannezius facit, scribens : « De opinionibus prioris generis [i. e. si de illicito vel licito agitur] verum est posse hominem sequi probabilem opinionem, relicta probabiliori. » (In 2am 2ae, q. 10, a. 1, dub. 3, concl. 4). Illud agit ex. gr. Suarezius, statuens : « Maior probabilitas est quaedam moralis certitudo, si excessus probabilitatis certus sit. » (*De Legibus*, lib. 8, c. 3, n. 19). — Nonnulli tamen theologi dupliciter per excessum peccaverunt, sive probabilitatis limites nimis extendendo, sive sub specie probabilitatis opiniones simplicitati christianae sanisque moribus prorsus intolerandas inducendo : hi sunt « Laxistae », inter quos eminent Caramuel cisterciensis, Diana theatinus, Escobar iesuita. Iesuitarum plurimi probabilismum tuebantur, etsi alii repugnabant (ex. gr. Comitolus, † 1626),

---

aliqua dubitatione. » 4, d. 21, q. 2, a. 3, ad 3 : « Quando aliquis dubitat de aliquo peccato an sit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente ; quia qui aliquid committit vel omittit, in quo dubitat esse mortale peccatum, peccat mortaliter, discrimini se committens. Et similiter periculo se committit qui de hoc quod dubitat esse mortale negligit confiteri. Non tamen debet asserere illud esse sed cum dubitatione loqui. » *De Veritate*, q. 17, a. 3 : « Nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti. » Multas auctoritates congregatas habent BILLUART, *Tract. de actibus humanis*, diss. VI, art. 1 ; FRINS, *op. cit.*, pp. 253-276. Cum autem certum sit, quaestionem ante saec. XVI-XVII expresse motam non esse, haec omnia parum iuvant, nisi forte per accidens ac per modum exempli, hoc vel illud controversiae punctum illustrando.

passimque habiti sunt ut huius doctrinae auctores propriique patroni[1].

Iam anno 1620 facultas theologica Parisiensis inimicam se probabilismo significarat. Anno 1656 prodierunt Bl. Pascal *Litterae Provinciales,* quarum V[a] et VI[a] vehementissime probabilismum impugnabant, quaeque sunt anno sequenti ab Alexandro VII damnatae. Ex altera tamen parte, crescente scandalo a Laxistis, bis reprobavit idem Pontifex « ut minimum tanquam scandalosas » complures eorum propositiones (Denz. 1101-1145, annis 1665 et 1666), quarum pleraeque erant laxae materialiter, quaedam ipsam etiam probabilitatis normam laxitate pervertebant : sic 1126 de probabilitatis usu in iudice, 1127, de limitibus probabilitatis. (Haec ita se habet : « Si liber sit alicuius iunioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet reiectam esse a Sede apostolica tanquam improbabilem »). De mente Alexandri VII, cfr Ter Haar, *op. cit. (latino),* pp.30-31 ; is Ordinem Praedicatorum hortatus est, ut certamen adversus laxismum inirent, quod factum est in Capitulo Generali anni 1656 (admonit. 14, cfr Billuart, *l. c.,* § *Ordines religiosorum*) ; is etiam Michaeli de Elizalde, S. J., auctor fuit, ut scriberet contra probabilismum *De recta doctrina morum.*

Infensiorem etiam probabilismo se praebuit Innocentius XI (Odescalchi). Is primo quidem laxistarum licentiam repressit, damnatis propositionibus LXV, die 2° martii 1679. Harum prima spectat ad probabilitatis usum in sacramentis conferendis (1151) ; altera, ad usum iudicialem. Tertia haec est : « Generatim, dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. » Sibi etiam displicere summopere significavit « sententiam eorum qui asserunt, quod in concursu minus probabilis opinionis cum probabiliore sic cognita et iudi-

1. « Nous avons bien voulu que d'autres que les Jésuites puissent rendre leurs opinions probables, afin qu'on ne puisse pas nous les imputer toutes » (PASCAL, *5e Provinciale*). Idem scriptor laxismum sic notat : « La difficulté était de trouver de la probabilité dans le contraire des opinions qui sont manifestement bonnes ; et c'est ce qui n'appartient qu'aux grands hommes. Le père Banny y excelle » (*6e Provinciale*).

cata licitum sit sequi minus probabilem » (cfr Denz. 1219), qua sententia probabilismus proprie dictus continetur. Nunquam tamen eam authentice damnavit, sed impugnatoribus eius aperte favit, vel cum Patri Olivae, Iesuitarum Generali Praeposito (1661-1681) iniunxit, ut libera esset in Societate huiusmodi impugnatio (*Decr. S. Off.*, 26 iunii 1680 ; Denz. 1219 [1]), vel cum Thyrsum Gonzalez de Santalla, S. I., ad idem certamen hortatus est (ibid.), vel cum procuravit, ut eundem Thyrsum sodales congregati in Generalem Societatis eligerent (1687. Cfr Ter Haar, *op. cit.*, p. 52).

Mortuo Innocentio XI anno 1689, successor eius Alexander VIII, laxismo minime parcens (Denz. 1289-1290), rigoristarum tamen excessus compescuit, asserentium : « Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam » (Denz. 1293). Hic reprobabatur *tutiorismus*, quem tuebantur iansenistae, ut Ioannes Sinnich et « Nicolaus Wendrock » (Nicole) [2]. — Regnante autem Innocentio XII, Thyrsus Gonzalez in lucem edidit, approbante Pontifice, opus suum morale cui titulus : « Fundamentum Theologiae moralis, id est tractatus theologicus de recto usu opinionum probabilium » (a. 1694) ; in eo libro *probabiliorismum* profitetur, eo tamen sensu, ut neget hominem posse sequi sententiam minus tutam, si ei appareat opposita *manifeste* verisimilior, concedat, si benignior appareat *manifeste* verisimilior (cfr Diss. 3, c. 3, § 7, n. 84-91 ; Diss. 4, c. 2, n. 14-16, etc.). Is liber « intra unius anni spatium in variis Europae urbibus *duodecies* prelo commissus est » (Ter Haar, *op. cit.*, p. 76), eoque usus est Bossuetius, et cum Clero Gallicano suasit ut, reprobato probabilismo, probabiliorismum profiterentur, quod factum est in Conventu anni 1700, et in scriptis *Dissertatiunculis quatuor adversus probabilitatem*.

Exeunte saeculo XVII et ineunte XVIII, ita regnabat, non solum in Gallia et Belgio, sed etiam Romae, opinio probabilior, ut senescens Gonzalez arbitratus sit, brevi fore ut probabilismi

1. Cfr *Études*, t. LXXXVI, 1901, p. 780 ; t. XCI, 1902, p. 831 et t. XCVII, 1903, p. 561-572 (J. BRUCKER) ; *Revue thomiste*, t. IX, 1901, pp. 460, 520 et 652 ; t. X, 1902, p. 5 (P. MANDONNET).

2. Posthac ita mitigatus est tutiorismus, ut dicerent sequi licere opinionem libertati faventem, cum esset probabilissima. Sic pauci : M. STEYAERT, J. OPSTRAET, lovanienses ; dein HENRICUS A S. IGNATIO, et Cardinalis GERDIL.

condemnatio a Sancta Sede perficeretur (ut constat ex eius ad Clementem XI supplici libello, a. 1702). Id, etiam tunc, factum non est, etsi Benedictus XIII et Benedictus XIV infensi erant probabilismo. Immo, medio fere saeculo XVIII, Iesuitae itali non pauci opinionem minus probabilem expresse tuebantur, aliique extra societatem. Accidit tamen ut, sive propter thesium quarundam a S. Inquisitione proscriptionem (anno 1761, cfr S. Alphonsum, *loco laud.*, n. 85), sive propter rigidorum (ut Concina, O. P., Patuzzi, O. P.) vehementissimas impugnationes, probabilismus quivis iterum fere devictus iacuerit.

At, qui res erat conversurus, S. Alphonsus a Ligorio, « postquam rigidiori valedixerat probabiliorismo,... *minus probabilis* opinionis sectatoribus... se adiunxit et ad mentem vulgaris probabilismi, duas dissertationes, reticito nomine suo paucisque exemplaribus, prelo commisit (1749 et 1755), quibus *minus probabilem* adversus *probabiliorem* indiscriminatim propugnat » (Ter Haar, *op. cit.*, p. 100). Is usque ad annum 1761 videtur fuisse simplex probabilista. At anno 1762, in dissertatione « *de usu moderato opinionis probabilis* », quam iam episcopus factus edidit, adstipulatur sententiae Eusebii Amort, canonici regularis Pollingiani (1692-1775), qui mediam viam aequiprobabilismi, iam a Germanis iesuitis Hartmann, Rassler, Mayr, initam, sequebatur[1]. Anno etiam 1765, in apologia pro dissertatione laudata, docet non licere « sequi opinionem minus probabilem, quando opinio pro lege est notabiliter et certe probabilior ». Anno 1768, scribit ad editorem Remondini : « Meum de probabilitate systema diversum est a Iesuitarum ; ego enim nego licitum esse opinionis minus probabilis usum ut talis agnitae ; Busembaum, Croix, plerique Iesuitae, quibus minus probabilis usus licitus probatur, id affirmant. » Denique, in *Homine apostolico* : « Hanc sententiam (qua sequi nos posse dicunt minus probabilem pro libertate, cum opposita pro lege sit certo probabilior) elapsi saeculi auctores quasi

---

1. De his aequiprobabilismi initiis, cfr Ter Haar, *op. cit.*, pp. 95-99. Is etiam arbitratur (*De systemate morali antiquorum probabilistarum)*, non paucos antiquiores probabilistas idem re docuisse. Contrarium ostendit Alb. Schmitt, *Zur Geschichte des Probabilismus*, Innsbruck, 1904.

communiter tenuere ; sed nos dicimus eam esse laxam et licite amplecti non posse. » (Tr. I, n. 31). Haec cum ita sint, suo tamen tempore S. Alphonsus auctor valde benignus habitus est, et, regnante uti diximus rigidiore doctrina, iure habitus est ; ideoque acres quorundam reprehensiones pertulit, praecipue Vincentii Patuzzi. Docet enim sanctus Doctor (in quo probabiliorismo repugnat) non requiri, ut quis partem benigniorem amplectatur, probabilitatem *maiorem* ex parte libertatis, sed *aequam* (vel fere aequam) sufficere ; addit tamen, id tum solum valere, cum dubia sit legis *exsistentia*, non cum dubia sit legis *cessatio:* quae restrictio non ex intimis systematis visceribus depromitur, sed habetur ex superaddito principio « possessionis » : meliorem esse condicionem possidentis. Simplici itaque probabilismo in hoc praesertim repugnat, quod negat secundum opinionem cognitam ut minus probabilem, conscientiam licite posse formari : immo, tali opinioni nomen denegat verae solidaeve probabilitatis [1]. Dum igitur in hoc cum schola Thyrsi ceterorumque concors est, interdum se dicit probabilioristam.

Ex eo tamen tempore quo S. Alphonsi doctrina in scholis catholicis florere coepit, et a Sede Apostolica tanquam sana et secura

---

1. « Io circa la probabile tengo due cose per certo. La prima, contro il P. N., che ben può seguirsi la probabile per la libertà, quando è probabile egualmente, o poco meno : in modo che sia dubbio, se tale opinione sia egualmente, o poco meno probabile della contraria, che sta per la legge. Dico all'incontro, e lo tengo per certo, che quando l'opinione per la libertà è certamente meno probabile, e quella per la legge è certamente più probabile, non può seguirsi l'opinione per la libertà ; perchè quando l'opinione per la legge apparisce certamente più probabile, segno che allora è più probabile notabilmente, e con eccesso... » (*Epist.* 25 maii 1767, ad P. Villani, vic. gen. C. SS. R., quam invenias in *Vindiciis Alphonsianis*, p. I, cap. 2, § II, art. 2, 1ª ed., 1873, p. 63). Iam antea : « L'opinione veramente probabile è quella sola, che ha fondamenti intrinseci ed estrinseci egualmente o quasi egualmente validi, che non ha la contraria per la legge, in modo che la legge apparisce certamente e strettamente dubbia. » *(Dell'uso moderato dell' opinione probabile*, 1765, c. V, n. 25, in *Vindiciis*, p. I, c. 2, § II, a. 1, p. 57). Locos, quibus se dixit probabilioristam, vide apud TER HAAR, p. 104, not. *(Lettere*, II, n. 818 ; III, n. 315, 185). Non tamen veretur dicere : « autori nostri probabilisti » (*in ep. sup. laud.*, 25 maii 1767) eos intellegens « qui usum opinionis probabilis in concursu opinionis notabiliter probabilioris pro lege non admiserunt, quamvis non docuerint, opinionem *certe* probabiliorem semper *notabiliter* probabiliorem esse » (*Vindiciae*, p. I, c. 4, § 1, a. 5, p. 113).

commendari[1], probabiliorismus ille rigidior, qualem tuebantur Gonzalez ac Patuzzi, decrescere coepit, et tandem fere evanuit. Illud felicius etiam evenit, non in scholis, sed in ipso Paenitentiae tribunali, quod, cum exstincta esset damnosa illa et petulans licentia laxistarum, qua secundum tenues probabilitates undequaque conquisitas iudicabant, paulatim etiam cessavit rigor nimius, a spiritu iansenistico non alienus, qui multos a sacramentis et a religionis officiis exercendis retrahebat. Ad doctrinam quod attinet, S. Alphonsi auctoritas lites omnes non sopivit, sed manet contentio inter aequiprobabilismum et probabilismum simplicem, quem multi non sine laude saeculo XIX tuiti sunt (Gury, Ballerini, Lehmkuhl, Bouquillon, alii plurimi. Utriusque doctrinae sectatores lubenter affirmant, maiorem partem theologorum qui nunc sint, secum sentire). Nec tamen est arbitrandum, in ea theologiae parte nullos certos processus esse effectos. Quod quidem omnes auctoritatem S. Alphonsi pro se facere contendant[2], id ad detrimentum potius pertinet quam ad profectum, et obscuritatem saepe inducit tam in loquendo quam in cogitando. At ipsa probabilistarum persuasio, S. Doctorem a se non dissentire, nonnullos eorum induxit ut assererent, inter suam « veram solidamque » probabilitatem, ac « fere aequam » illam S. Alphonsi, nihil re vera interesse. Ex altera parte, urgentes eos quantum poterant aequiprobabilistae, demonstrare conati sunt, contra probabiliorem ut talis est certo cognitam, nullam veri nominis proba-

---

1. Vide *Responsum Sacrae Paenitentiariae*, 5° iulii 1831, archiepiscopo Vesontionensi, de non inquietando confessario qui omnes B. Alphonsi opiniones in praxi sequatur, etsi ipse rationum momenta non perpenderit, sed auctoritate confisus agat. Vide etiam PIUM IX in *Decreto* 23[1] martii 1871, super concessione tituli Doctoris : « Obscura insuper dilucidavit, dubiaque declaravit, cum inter implexas theologorum sive laxiores sive rigidiores sententias, tutam straverit viam, per quam Christi fidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent. » Saepe scriptores rerum moralium suis libris animadversionem praemittunt de auctoritate S. Alphonsi ; eam ex. gr. valde extollunt scriptores *Vindiciarum*, p. XXII, sqq. Mirabilia videbis apud HARNACK, *Dogmengeschichte*, III[4], p. 755, sqq.

2. Nota est scriptorum *Vindiciarum* cum Antonio Ballerini disceptatio. Plurima quae huc spectent, collecta habes et perpensa apud LE BACHELET, *La question liguorienne*, Paris, 1899.

bilitatem remanere posse. Sic igitur factum est, ut ad psychologiam et cognitionis doctrinam totum fere negotium devenerit (cfr P. Gardeil, O. P., *Commentariolos* in *Revue des sciences philosophiques et théologiques*, aprilis et julii 1911 : « *La certitude probable* »), si tamen a quibusdam circa historiam controversiis discesseris, in quibus interdum est magna contumeliarum vis effusa.

CAPUT IV

Afferuntur pro singulis opinionibus argumenta.

§ I.

Argumenta Rigoristarum

Suppositis duabus sententiis quarum altera legi altera libertati, ut aiunt, « favet », dicunt *tutioristae absoluti* nunquam licere amplecti opinionem benigniorem, nisi quando sit *certa* ; dicunt *mitigati* id non licere, nisi eadem sit *probabilissima*. His autem argumentis utuntur, vel potius utebantur, cum iam in Ecclesia nulli sint :

Ex Scriptura allegant locos quosdam, ut *I Thess.*, 5, 21-22 : « Omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos. »

Ex S. Augustino et S. Thoma quaedam adducunt supra laudata (p. 31-32, not.), similia ex aliis.

Ex ratione : Qui se exponit periculo laedendae legis, peccat. Atqui, se exponit periculo laedendae legis quicumque non *certo* scit (vel : non *probabilissime*, cum talis probabilitas simillima sit certitudini) se non teneri obligatione. Ergo.

Vel sic : « Ex opinione tantum probabiliori de honestate obiectiva actus, non potest formari conclusio practica moraliter certa de honestate formali, non enim potest conclusio esse certior principio. Ergo. » (Hanc rationem affert et dissolvit Billuart, *Tract. de actibus humanis*, diss. VI, art. 3, ed. Letouzey, t. II, p. 386).

Vel sic : Quicumque conscientiam directe certam non habet, debet (secundum principia supra tradita) certam eam sibi efformare principio reflexo. Ut autem principium illud reflexum certitudinem conscientiae tribuat, debet ipsum esse certum. Nullum

autem systema circa probabilitatem nititur principio ita certo, ut satis ostendunt vel ipsae theologorum disceptationes. Ergo.

Falsitas tutiorismi absoluti probatur auctoritate Ecclesiae (Denz. 1293), ex legitimitate usus principii reflexi, ex importabili, quam inducit, aggravatione levis oneris Christi. Falsitas tutiorismi mitigati, ex eodem ultimo incommodo, ex consensu theologorum, ex eo quod omnes quae in eo afferuntur obiectiones contra probabiliorismum vel probabilismum, ut quae fere sint fundamenta tutiorismi *absoluti*, possint retorqueri. Rationibus supra positis satis fit distinguendo laesionem legis materialem a formali, — asserendo certitudinem iudicii practici cum sententia speculative non certa, oriri ex principio reflexo certo *legem dubiam non obligare*, quod principium omnes admittant, solis rigidioribus exceptis. Syllogismi ergo practici maiorem praemissam praebet hoc principium ; minorem autem constituit iudicium, *hanc legem hic et nunc esse dubiam*, quod iudicium potest esse certissimum, etsi materia eius sit dubitatio. Conclusio itaque syllogismi practici (seu dictamen conscientiae) potest, sicuti debet, esse certa.

§ 2.

Argumenta Probabilioristarum

Dicunt probabilioristae, suppositis duabus sententiis, quarum altera legi, altera libertati « faveat », necesse esse, ad benigniorem licite amplectendam, ut ea *probabilior* sit quam sententia favens legi.

I. Ex Scriptura adducunt Mt. 7. 14, arctam esse viam, et angustam portam, quae ad vitam ducant ; porro, si liceret se ab obligationibus eximere, contra quas afferri possit ratio probabilis, latam fore portam spatiosamque viam paradisi.

II. Exemplis etiam scripturisticis rem illustrant, quarum quaedam non carent suo lepore. Sic ex. gr. Billuart, *op. cit.*, diss. VI, art. 1, l. c., p. 353 : « Probabile erat Sauli (*1 Reg.*, 15) se non

transgredi mandatum Dei de deletione Amalec » ; probabile erat Roboam (*3 Reg.*,12) consilium iuvenum ; probabile Osae (*2 Reg.*,6) se manum extendere posse ad arcam Dei protegendam. Eiusdem fere momenti sunt argumenta ex Patribus, sicut supra tetigimus.

III. Ratione, sic : « Cui sententia aliqua apparet probabilior, quandiu in ea est, non potest de contraria favorabile ferre iudicium. Neque enim fieri potest ut assentiatur ei quam minus probaverit. Ergo alteram, vero licet opinativo iudicio, credit veram sive veriorem, ita dictante conscientia. » (Bossuet, *Dissertatiuncula*, II, n. 20). Igitur, qui amplectitur eam partem, quam probabilius iudicat esse illicitam, contra conscientiam operatur, et sic peccat.

IV. Vel sic. In concursu probabilioris cum minus probabili, probabilitas minor superatur et eliditur a maiore, ita ut stante cognitione prioris ut probabilioris, altera nullatenus possit legitime mentem trahere ad assensum. Probabilis autem, recte loquendo, dicitur ea sententia quae possit legitime mentem trahere ad assensum. Ergo minus probabilis, ut talis cognita, ne probabilis quidem remanet, et sic fundamentum praebere non potest iudicio reflexo conscientiam certam efformante.

V. Sic etiam (Billuart, *l. c.*, p. 362) : « Transgressio materialis legis non est bona nec appetenda, sed fugienda quantum moraliter potest, leges enim sunt... in bonum commune... : atqui, qui agit quod probabilius aestimat esse contra legem, non fugit quantum materialiter potest transgressionem materialem legis, sed potius illam appetit, saltem interpretative : ergo. »

Hae tres rationes, sub numeris III, IV, V positae, usurpari etiam possunt a fautoribus aequiprobabilismi, qui, de casu quo minus probabilis concurrit cum certe probabiliore, sentiunt ut probabilioristae. At, de conflictu duarum aeque probabilium, probabilioristae contra aequiprobabilistas[1] argumentantur ut sequitur :

1. Adverte, eos passim a Billuart vocari *probabilistas*, etsi agnoscat eos et reiecta minus probabili et admisso principio possessionis, a « probabilismo vago » defecisse.

VI. « Dum utraque pars contradictionis est aeque probabilis, neutra est proprie et expedite probabilis. » Sed si neutra pars est proprie et expedite probabilis, remanet conscientia stricte dubia. Porro, in conscientia stricte dubia, pars tutior est sequenda, sicut omnes concedunt (cfr Billuart, *l. c.*, a. 2, p. 370 et 376, Beaudouin, *op. cit.*, p. 105, sqq.). Ergo, in conflictu duarum aeque probabilium, pars tutior est amplectenda, i. e. sequenda lex. Primum antecedens probatur ex elisione probabilitatum, quam ipsi solent contra puros probabilistas tueri aequiprobabilistae.

Adversus principium possessionis, quo restringitur doctrina aequiprobabilismi, contendunt probabilioristae :

VII. In dubio de legis exsistentia, non certa est, sed dubia possessio libertatis (ea enim est ius faciendi quod libuerit, quod non adest, nisi cum certum est, legem obesse nullam). Porro, dubia possessio meliorem non facit condicionem possidentis. Ergo,

VIII. Secundum aequiprobabilistas, lex vere dubia, *qua talis*, vim amittit obligandi. Ipso enim dubio speculativo nituntur, ut efforment iudicium certum practicum. Sed dubium *qua tale* non afficitur ullo modo discrimine illo quod est ex antecedente possessione legis aut libertatis. Ad rem Billuart, *op. cit.*, a. 2, p. 378 : « Quid, quaeso, facit, ista possessio libertatis vel legis ad cognitionem datae vel non datae duodecimae [horae, nocte scilicet quae diem abstinentiae praecedat vel sequatur] et consequenter legis obligantis ? Esset prorsus impertinens, et omnium sibilis exciperetur, qui interrogatus cur ignoret invincibiliter esse auditam duodecimam ante feriam 6am et se teneri lege abstinentiae, responderet : quia possideo libertatem ; et e contra interrogatus cur non ignoret invincibiliter esse auditam duodecimam ante diem dominicam, responderet : quia non possides libertatem. Ingenue fateor, citra cuiusque iniuriam, haec mihi videntur legum ludificationes et cum Deo cavillationes, in quibus tamen, tremens dico, vertitur cardo salutis aut damnationis aeternae. »

Denique, contra quosvis benigniores dicunt probabilioristae :

IX. Benigniores volunt conscientiam efformari ex principiis

reflexis. Sed ea principia, quibus utuntur, non possunt ministrare conclusionem certam. Nam sunt incerta et ad summum probabilia. « Patet consequentia : non enim potest conclusio esse certior suis principiis. Prob. min. : omnes antiprobabilistae negant haec principia tanquam absolute falsa, et indubie probabiliter negant, sunt enim auctores numero et pondere gravissimi, neque eorum rationes sunt improbabiles, quae duo fundant opinionem probabilem : ergo haec principia sunt incerta et ad summum probabilia. » (Billuart, *op. cit.*, a. 1, p. 361).

§ 3.

Argumenta Probabilistarum

Suppositis duabus sententiis quarum altera legi altera libertati « faveat », dicunt probabilistae, licite hominem sequi sententiam benigniorem, etiam contra tutiorem probabiliorem, dummodo benignior sit vere solideque probabilis, idque in omnibus et solis casibus, ubi agatur de solo licito vel illicito. Hoc ultimum explicant distinguendo dubitationes quae de *valore* actuum esse possunt, a dubitationibus quae sunt de *liceitate* sola. In baptismo, ex. gr., conferendo, valor seu validitas cum liceitate non convertitur, possuntque haec duo seiungi. Fieri itaque potest, ut, nulla de validitate quaestione exsistente, oriatur dubium de licito (licetne mihi hunc hodie baptizare ?), ibique sequi licebit opinionem probabilem. At fieri etiam potest ut, propter dubitationem de validitate (valetne baptismus in tenui cerevisia, vel aqua rosacea collatus ?) oriatur dubium de licito (licetne mihi in tali materia baptizare ?), et hic, ex diffinitione, locum non habet probabilismus. Quo statuto, dicunt probabilistae : *a)* doctrina tutioristica de sacramentis conferendis, de obligationibus medicorum, etc., non constitui exceptiones a principio probabilismi, secundum praedictam diffinitionem intellecto ; *b)* intra eiusdem diffinitionis limites, valere illud principium de lege quavis, sive naturali, sive positiva divina, sive humana.

Argumenta autem probabilistarum fere sunt haec (si a scripturisticis et patristicis discesserimus) :

I. Lex dubia non obligat. Atqui, quotiescumque, exsistente quaestione de solo licito vel illicito, est opinio vere solideque probabilis pro libertate, lex dubia dicenda est. Ergo lex in tali casu non obligat.—*Probatur maior.* Lex non obligat, immo in actu secundo non est lex, seu regula actionum subditorum directrix, quando eam in mente sua superior conclusam fovet (ut dicit Lehmkuhl, *op. cit.*, t. I, n. 91), sed oportet ut ea a subditis secundum suam naturam participetur, quod fit, in subditis naturae intellectualis, cum subditi percipiunt legem esse. Atqui, qui dubitat de exsistentia legis, non percipit legem esse. Ergo, non adimpleta condicione qua lex ei applicatur secundum suam naturam, is lege non obligatur, lex ei non est lex. Ad rem S. Thomas : « Nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti » (*De Veritate*, q. 17, a. 3) ; et ibidem : « nec ex imperio alicuius... domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum cui imperatur ; attingit autem ipsum per scientiam ». S. Alphonsus (in « *Dissertatione scholastico-morali pro usu moderato opinionis probabilis in concursu probabilioris* », anni 1755) : « Certum est Deum libertatis dominium homini concessisse, ut agere posset omnia quae a divina lege non prohibentur, ut ex Apostolo *1 Cor.*, 7, 37 : « Potestatem autem habens suae voluntatis. » — *Probatur minor.* Quandiu adest contra legis exsistentiam ratio vere solideque probabilis, qualiscumque supponitur esse excessus probabilitatis pro legis exsistentia, lex remanet non scita, nec simpliciter percipitur *esse legem*, quod nihil aliud est nisi legem esse dubiam.

II. Ex agendi ratione Ecclesiae. Doctrina probabilismi, si falsa est, laxitatem inducit in moribus non quoad quaedam tantum et per accidens, sed quoad omnia, per se, et quasi via et ratione, cum *methodum* praebeat universalem qua vitae christianae leges eludantur. Atqui, repugnat ut talis *laxitas systematica* ab Ecclesia toleretur, cum facile possit tolli, multoque magis ut ei faveatur, utque potestates in Ecclesia constitutae, qua tales, huiusmodi systematis principia usurpent. Porro, Ecclesia tolerat probabilismum, immo ei favet modo dicto. Ergo doctrina probabilismi falsa

non est. *Prima* propositio ab adversariis admittitur. *Altera*, ut verbis utamur Lehmkuhl, *op. cit.*, n. 84, « dogmatice constat ex infallibilitate et indefectibilitate Ecclesiae. Nam ut infallibilis veritatis magistra... doctrinam morum corrumpentem nequit *approbare*, ita neque eam potest *tolerare*, siquidem *a)* praxim ubique vigentem pravam non reprehendere est *aequivalens eius approbatio*; *b)* esset defectio a munere valde essentiali, quae Ecclesiae indefectibilitati directe adversatur. » Haec si de toleratione vera sunt, multo magis de favore praestito, deque principiorum usu. *Tertia* propositio ex hoc patet, quod probabilismum nunquam damnavit Ecclesia, etsi ad id faciendum ab illius doctrinae impugnatoribus saepe est invitata ; quod Romani pontifices eam doceri siverunt in multis orbis catholici cathedris, nominatim in pontificia Universitate Gregoriana, sicuti fit etiam nunc ; quod summis laudibus extulit Ecclesia doctrinam S. Alphonsi, eamque ab omni periculo pronuntiavit immunem [1], cum ille tamen per longum tempus purum probabilismum professus sit ;—ex hoc denique, quod S. Officium in responsis XVI die 11° febr. 1661 datis, circa materiam de sollicitatione denuntianda, has formulas adhibet : « Negativam opinionem non carere probabilitate » (ad 6), « negativam opinionem esse probabilem » (ad 10) et sic aperte « probabilitatem ut causam et normam vere ab onere legis eximentem agnoscit » (Sic Frins, *De Actibus humanis*, t. III, p. 249. Decretum illud Benedictus XIV confirmavit ; eius textum invenias ex. gr. apud Lehmkuhl, *op. cit.*, t. II, n. 975).

Ad ea autem quae obiiciuntur a probabilioristis, haec responsionum capita adhibent probabilistae : de arcta via et angusta porta, asserunt multas manere obligationes certissimas, contra quas nulla possit unquam afferri ratio vere probabilis ; praeterea decere christianam professionem non ut legi subdamur serviliter, sed

---

1. Huc spectat non solum *Decretum super revisione et approbatione operum* (in causa beatificationis 18 maii 1803) : « Nihil in eis censura dignum repertum fuit », sed etiam *Bulla Canonizationis*, 26 maii 1839 : « Illud vero imprimis notatu dignum est, quod, licet copiosissime scripserit, eiusdem tamen opera inoffenso prorsus pede percurri a fidelibus posse, post diligens institutum examen perspectum fuerit. » Cfr adnot. supra, p. 37.

VI. « Dum utraque pars contradictionis est aeque probabilis, neutra est proprie et expedite probabilis. » Sed si neutra pars est proprie et expedite probabilis, remanet conscientia stricte dubia. Porro, in conscientia stricte dubia, pars tutior est sequenda, sicut omnes concedunt (cfr Billuart, *l. c.*, a. 2, p. 370 et 376, Beaudouin, *op. cit.*, p. 105, sqq.). Ergo, in conflictu duarum aeque probabilium, pars tutior est amplectenda, i. e. sequenda lex. Primum antecedens probatur ex elisione probabilitatum, quam ipsi solent contra puros probabilistas tueri aequiprobabilistae.

Adversus principium possessionis, quo restringitur doctrina aequiprobabilismi, contendunt probabilioristae :

VII. In dubio de legis exsistentia, non certa est, sed dubia possessio libertatis (ea enim est ius faciendi quod libuerit, quod non adest, nisi cum certum est, legem obesse nullam). Porro, dubia possessio meliorem non facit condicionem possidentis. Ergo,

VIII. Secundum aequiprobabilistas, lex vere dubia, *qua talis*, vim amittit obligandi. Ipso enim dubio speculativo nituntur, ut efforment iudicium certum practicum. Sed dubium *qua tale* non afficitur ullo modo discrimine illo quod est ex antecedente possessione legis aut libertatis. Ad rem Billuart, *op. cit.*, a. 2, p. 378 : « Quid, quaeso, facit, ista possessio libertatis vel legis ad cognitionem datae vel non datae duodecimae [horae, nocte scilicet quae diem abstinentiae praecedat vel sequatur] et consequenter legis obligantis ? Esset prorsus impertinens, et omnium sibilis exciperetur, qui interrogatus cur ignoret invincibiliter esse auditam duodecimam ante feriam 6^{am} et se teneri lege abstinentiae, responderet : quia possideo libertatem ; et e contra interrogatus cur non ignoret invincibiliter esse auditam duodecimam ante diem dominicam, responderet : quia non possides libertatem. Ingenue fateor, citra cuiusque iniuriam, haec mihi videntur legum ludificationes et cum Deo cavillationes, in quibus tamen, tremens dico, vertitur cardo salutis aut damnationis aeternae. »

Denique, contra quosvis benigniores dicunt probabilioristae :

IX. Benigniores volunt conscientiam efformari ex principiis

reflexis. Sed ea principia, quibus utuntur, non possunt ministrare conclusionem certam. Nam sunt incerta et ad summum probabilia. « Patet consequentia : non enim potest conclusio esse certior suis principiis. Prob. min. : omnes antiprobabilistae negant haec principia tanquam absolute falsa, et indubie probabiliter negant, sunt enim auctores numero et pondere gravissimi, neque eorum rationes sunt improbabiles, quae duo fundant opinionem probabilem : ergo haec principia sunt incerta et ad summum probabilia. » (Billuart, *op. cit.*, a. 1, p. 361).

§ 3.

Argumenta Probabilistarum

Suppositis duabus sententiis quarum altera legi altera libertati « faveat », dicunt probabilistae, licite hominem sequi sententiam benigniorem, etiam contra tutiorem probabiliorem, dummodo benignior sit vere solideque probabilis, idque in omnibus et solis casibus, ubi agatur de solo licito vel illicito. Hoc ultimum explicant distinguendo dubitationes quae de *valore* actuum esse possunt, a dubitationibus quae sunt de *liceitate* sola. In baptismo, ex. gr., conferendo, valor seu validitas cum liceitate non convertitur, possuntque haec duo seiungi. Fieri itaque potest, ut, nulla de validitate quaestione exsistente, oriatur dubium de licito (licetne mihi hunc hodie baptizare ?), ibique sequi licebit opinionem probabilem. At fieri etiam potest ut, propter dubitationem de validitate (valetne baptismus in tenui cerevisia, vel aqua rosacea collatus ?) oriatur dubium de licito (licetne mihi in tali materia baptizare ?), et hic, ex diffinitione, locum non habet probabilismus. Quo statuto, dicunt probabilistae : *a)* doctrina tutioristica de sacramentis conferendis, de obligationibus medicorum, etc., non constitui exceptiones a principio probabilismi, secundum praedictam diffinitionem intellecto ; *b)* intra eiusdem diffinitionis limites, valere illud principium de lege quavis, sive naturali, sive positiva divina, sive humana.

Argumenta autem probabilistarum fere sunt haec (si a scripturisticis et patristicis discesserimus) :

I. Lex dubia non obligat. Atqui, quotiescumque, exsistente quaestione de solo licito vel illicito, est opinio vere solideque probabilis pro libertate, lex dubia dicenda est. Ergo lex in tali casu non obligat.—*Probatur maior.* Lex non obligat, immo in actu secundo non est lex, seu regula actionum subditorum directrix, quando eam in mente sua superior conclusam fovet (ut dicit Lehmkuhl, *op. cit.*, t. I, n. 91), sed oportet ut ea a subditis secundum suam naturam participetur, quod fit, in subditis naturae intellectualis, cum subditi percipiunt legem esse. Atqui, qui dubitat de exsistentia legis, non percipit legem esse. Ergo, non adimpleta condicione qua lex ei applicatur secundum suam naturam, is lege non obligatur, lex ei non est lex. Ad rem S. Thomas : « Nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti » (*De Veritate*, q. 17, a. 3) ; et ibidem : « nec ex imperio alicuius... domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum cui imperatur ; attingit autem ipsum per scientiam ». S. Alphonsus (in « *Dissertatione scholastico-morali pro usu moderato opinionis probabilis in concursu probabilioris* », anni 1755) : « Certum est Deum libertatis dominium homini concessisse, ut agere posset omnia quae a divina lege non prohibentur, ut ex Apostolo *1 Cor.*, 7, 37 : « Potestatem autem habens suae voluntatis. » — *Probatur minor.* Quandiu adest contra legis exsistentiam ratio vere solideque probabilis, qualiscumque supponitur esse excessus probabilitatis pro legis exsistentia, lex remanet non scita, nec simpliciter percipitur *esse legem*, quod nihil aliud est nisi legem esse dubiam.

II. Ex agendi ratione Ecclesiae. Doctrina probabilismi, si falsa est, laxitatem inducit in moribus non quoad quaedam tantum et per accidens, sed quoad omnia, per se, et quasi via et ratione, cum *methodum* praebeat universalem qua vitae christianae leges eludantur. Atqui, repugnat ut talis *laxitas systematica* ab Ecclesia toleretur, cum facile possit tolli, multoque magis ut ei faveatur, utque potestates in Ecclesia constitutae, qua tales, huiusmodi systematis principia usurpent. Porro, Ecclesia tolerat probabilismum, immo ei favet modo dicto. Ergo doctrina probabilismi falsa

non est. *Prima* propositio ab adversariis admittitur. *Altera*, ut verbis utamur Lehmkuhl, *op. cit.*, n. 84, « dogmatice constat ex infallibilitate et indefectibilitate Ecclesiae. Nam ut infallibilis veritatis magistra... doctrinam morum corrumpentem nequit *approbare*, ita neque eam potest *tolerare*, siquidem *a)* praxim ubique vigentem pravam non reprehendere est *aequivalens eius approbatio ; b)* esset defectio a munere valde essentiali, quae Ecclesiae indefectibilitati directe adversatur. » Haec si de toleratione vera sunt, multo magis de favore praestito, deque principiorum usu. *Tertia* propositio ex hoc patet, quod probabilismum nunquam damnavit Ecclesia, etsi ad id faciendum ab illius doctrinae impugnatoribus saepe est invitata ; quod Romani pontifices eam doceri siverunt in multis orbis catholici cathedris, nominatim in pontificia Universitate Gregoriana, sicuti fit etiam nunc ; quod summis laudibus extulit Ecclesia doctrinam S. Alphonsi, eamque ab omni periculo pronuntiavit immunem [1], cum ille tamen per longum tempus purum probabilismum professus sit ;—ex hoc denique, quod S. Officium in responsis XVI die 11º febr. 1661 datis, circa materiam de sollicitatione denuntianda, has formulas adhibet : « Negativam opinionem non carere probabilitate » (ad 6), « negativam opinionem esse probabilem » (ad 10) et sic aperte « probabilitatem ut causam et normam vere ab onere legis eximentem agnoscit » (Sic Frins, *De Actibus humanis*, t. III, p. 249. Decretum illud Benedictus XIV confirmavit ; eius textum invenias ex. gr. apud Lehmkuhl, *op. cit.*, t. II, n. 975).

Ad ea autem quae obiiciuntur a probabilioristis, haec responsionum capita adhibent probabilistae : de arcta via et angusta porta, asserunt multas manere obligationes certissimas, contra quas nulla possit unquam afferri ratio vere probabilis ; praeterea decere christianam professionem non ut legi subdamur serviliter, sed

1. Huc spectat non solum *Decretum super revisione et approbatione operum* (in causa beatificationis 18 maii 1803) : « Nihil in eis censura dignum repertum fuit », sed etiam *Bulla Canonizationis*, 26 maii 1839 : « Illud vero imprimis notatu dignum est, quod, licet copiosissime scripserit, eiusdem tamen opera inoffenso prorsus pede percurri a fidelibus posse, post diligens institutum examen perspectum fuerit. » Cfr adnot. supra, p. 37.

ut ea iuvemur filialiter, secundum haec : « Iugum enim meum suave est, et onus meum leve » (*Mt.* 11, 30), cui mentis habitudini, in cotidiano usu atque vita christiana, anxia illa sollicitudo maxime repugnet, quam ultro probabiliorismus inducit. (Num tamen per se verum sit, probabilismum universim sumptum esse benigniorem, eo sensu ut ex eius principiis minorem vim sibi homo debeat facere, postea considerabimus). Ad argumenta ex ratione, respondent : neutri propositioni, neque probabili neque probabiliori, assensum praestari a ratione ut « verae sive veriori », uni propositioni *de inexsistentia obligationis* assensum praestari tanquam certo verae, et sic conscientiae iudicium efformari prorsus certum. — De elisione probabilitatum, communiter respondent, cum ex eodem fundamento depromatur utraque ratio probabilis, tunc minorem probabilitatem elidi ; cum ex diversis fundamentis, nequaquam. Experientiam maxime appellant, et docent, non tantum in tentationibus contra fidem vel contra veritates certas certitudine morali, sollicitari intellectum rationibus quae per assensum certum non elidantur [1], sed in multis opinionibus pure naturalibus manere cum adhaesione parti probabiliori rationes probabiles in oppositum non elisas. Ergo minus probabilis, ut talis cognita, probabilis remanet [2] ; quod si non per se meretur assensum, at id plane efficit, ut de incertitudine probabilioris, hoc est de inexsistentia legis, iudicium certum possit efformari. De transgressione legis materiali, respondent 1) retorquendo in probabilioristas, qui eam non fugiant quantum moraliter possunt ; 2) negando fugiendam esse transgressionem legis non obligantis, i. e. legis quae hic et nunc non sit lex : talem autem credunt esse legem, contra quam militet ratio vere solideque probabilis. Ex his denique quae de elisione probabilitatum dicunt, satis perspici potest eos directe non curare de lite quae est inter probabilioristas et aequiprobabilistas. Sed de principio possessionis arbitrantur, quoties-

1. Sic FRINS, *op. cit.*, p. 194, at minus feliciter, ut videtur. Dispar est enim condicio eius qui dubiis agitatur quae ipse iudicat esse imprudentia, a condicione eius qui veris probabilitatibus sollicitatur. Exemplum tamen iuvare potest, ut quis de psychologia opinionis vere concreteque iudicet.

2. I. e. talis, non quidem ut hic et nunc mereatur assensum, sed ut perspiciatur *posse* assensum, datis condicionibus, aliquando mereri.

cumque lex certa non sit (certa autem est moraliter illa lex contra quam non militat nisi tenuis probabilitas), tunc libertatem possidere. Etsi illo verbo non lubenter utuntur, cum dicant communiter, iniuria assimilari legem et libertatem duobus contendentibus in iustitia.

§ 4.

Argumenta Æquiprobabilistarum

Suppositis duabus sententiis quarum altera legi altera libertati « faveat », dicunt aequiprobabilistae : 1) non licere sequi opinionem minus probabilem pro libertate, relicta notabiliter seu certe probabiliore pro lege ; 2) in dubio de *exsistentia* legis, licere sequi opinionem probabilem pro libertate, relicta aeque probabili vel paulo probabiliore pro lege ; 3) in dubio facti de *cessatione* legis, non licere sequi opinionem probabilem pro libertate, relicta aeque probabili, nedum probabiliore, pro lege.

Primam partem sui systematis probant, ut supra dictum est, iisdem argumentis quibus utuntur probabilioristae, praecipue rationibus supra, p. 41, sub num. III et IV allatis, eam tamen rerum condicionem intellegendo, qua excessus probabilitatis sit notabilis seu certus. Negant enim legem tunc esse vere dubiam. Excessum *certum* probabilitatis dicunt esse semper etiam *notabilem* : secus enim non certo appareret[1].

Altera autem et tertia pars systematis sic explicantur. Conceditur, legem dubiam non posse certam inducere obligationem. Sed non continuo datur, ex perspecta dubietate legis, haberi solutionem ab omni obligatione, sicut volunt probabilistae. Nam, secundum aequiprobabilistas, quemadmodum, quando opinio tutior est certo probabilior, exsurgit obligatio certa, ope principii reflexi, sequendum in obscuris quod est verisimilius (cfr Beaudouin,

1. Cfr S. Alphonsum, *locis supra cit.*, p.36 in adnot.; etiam in *Epist.* 8 aug.1769 : « Dico rigidam opinionem, quando certe probabilior est, uno licet gradu, esse etiam notabiliter probabiliorem, quia ista certitudo maioris probabilitatis probat eam esse adeo praeponderantem ut sufficiat ad inflectendum lancem ; et ideo assero sententiam certe probabiliorem eandem esse ac notabiliter probabiliorem, quia, si notabilis non esset excessus, non posset inflectere lancem. »

op. cit., p. 96) ita, quando opiniones sunt aeque vel fere aeque probabiles, requiritur, post dubietatem legis sic cognitam, novum principium reflexum, ut exeatur de tali dubio (cfr Beaudouin, *ibid.*, p. 110) et sic tandem conscientia efformetur. Hoc autem novum principium reflexum erit principium possessionis : meliorem esse condicioniem possidentis.

Unde valde dilucide S. Alphonsus (*Theol. Mor.*, lib. I, tr. I, *de Conscientia*, n. 26) : « Quaestio tantum esse potest an in quolibet dubio morali possideat lex aut libertas. Antiprobabilistae dicunt semper legem possidere ; nos vero dicimus aliquando possidere legem, aliquando libertatem, nempe cum lex non est adhuc promulgata » ; probabilistae autem credunt semper possidere libertatem.

Aliis verbis. Principium est antiprobabilistarum : « Nihil est licitum, nisi quod moraliter constat a Deo fuisse permissum. » Principium est probabilistarum : « Nihil est illicitum, nisi quod moraliter constat a Deo esse vetitum. » Ideoque utrique, cognita dubietate, ex uno suo principio procedunt ad opus cum conscientia formata. At, secundum aequiprobabilistam, cognita dubietate, est consideratio instituenda de possessione, ut ex dubio exeatur. (S. Alphonsus : « cum duplex concurrit opinio aeque probabilis, opinio quae stat pro lege aliam non inducit obligationem *nisi deponendi dubium...* » *l. c.*, *Morale systema*, § 2, obj. III).

Thesim autem sic intellectam probant ut sequitur :

I. Auctoritate S. Alphonsi, quam summopere extollunt ; advertunt enim, ea quae sint a Summis Pontificibus in favorem doctrinae S. Alphonsi dicta, non minore, sed potiore ratione dici de systemate eius morali, quam de singulis opinionibus, « quandoquidem systema, ut nemo non videt, totam doctrinam moralem sustinet ac moderatur ; ad eius enim normam cuncta fere dubia resolvuntur ». Praeterea, quae a Pio IX dicta sunt de tuta via quam ille straverit inter laxorum et rigidiorum sententias, aperte videntur medium illud aequiprobabilismi systema significare (Cfr Aertnys, C. SS. R., *Theologia moralis*, n. 98-99, t. I[5], p. 47-49).

II. Ratione, sic. In dubio, melior est conditio possidentis. Atqui, in dubio de exsistentia legis, se habet ut possidens, libertas ; in dubio de cessatione legis (si est dubium facti)[1], se habet ut possidens, lex. Ergo. *Probatur maior.* « Cum enim in dubio quaedam sit aequalitas utrimque, non est cur potius in unam partem inclinet, quam in alteram ; ideo ipsa ratio dictat, dubitatione postveniente non everti certitudinem praeexsistentem ; propter solum dubium non esse res mutandas ab antiquo statu ; *si quis, praeter rationes aequales, gaudeat etiam rei possessione, hanc novum titulum praebere*[2] cur ipsi potius quam alteri adiudicari debeat. » (Aertnys, *l. c.*, n. 84, p. 39-40). *Probatur minor.* Ut ea stet, perspiciatur oportet : 1°) recte comparari legem et libertatem duobus de possessione litigantibus, seu recte in morali systemate constituendo usurpari dictum axioma ; 2°) in hac materia, possessionem nihil esse nisi certitudinem quae dubitationi antecedebat. Porro, 1um demonstratur, quia omnes agnoscunt valere principium in materia de iustitia ; atqui, quod valet in iustitia, proportionaliter valet in omni virtute, cum omni virtuti competat, ut ius suum unicuique tribuat, et sic dicatur etiam iustitia « virtus generalis » (Cfr S. Thomam, 2ª 2ªᵉ, q. 58, a. 5 et 6). Recte ergo comparatur omnis perversa voluntas homini cupido vel furi, et voluntas Deo subdita, legitimo possessori. Demonstratur etiam 2um. Nam ubi pro litigatione stat *dubitatio*, ibi pro possessione stare debet *certa cognitio*. Est autem certa cognitio aut legis, aut libertatis, antequam[3] exsurgat in favorem alterius partis dubitatio. Et secundum hoc scribit S. Alphonsus : « Ad dignoscendum... pro qua parte in dubiis stet possessio, videndum pro qua stet praesumptio. Praesumptio vero stat pro ea parte, quae

1. « Dicitur : in *dubio* FACTI, i.e. quando dubitatur de *exsistentia* facti, quo lex eiusve obligatio cessat. Secus vero est, quando constat de facto, sed dubitatur de *sufficientia* eius ad finiendam obligationem ; tunc est dubium iuris, in quo licet uti opinione probabili DD., quia in dubio possessio stat pro valore actus... » (AERTNYS, *op. cit.*, n. 96, p. 45-46).

2. Nos litteris italicis hanc propositionem scripsimus, in qua, velut in quodam nucleo, systematis summa continetur.

3. Hoc noli intellegere mere temporaliter (cum fieri possit ut quis per accidens primo legem certam non advertat) sed *anteriorem* eam partem accipe, contra quam, in genere agnitam, petatur exceptio.

non tenetur ipsa factum probare, sed onus probandi illud transfert in alteram. » *(op.cit.*, n. 26). Ei ergo parti incumbit probatio, quae exceptionem inducit ei parti in qua quiescebat intellectus, et eius est condicio peior. His positis, statim intellegitur cur in dubio de legis exsistentia habeatur ut possidens libertas, in dubio facti de legis cessatione, ipsa lex, ut dicebatur in minore argumenti.

N. B. Praeter exemplum supra datum (p. 42) de feria 5ª et 6ª, afferri etiam possunt sequentia : si quis dubitat num votum vel promissionem fecerit, debitum contraxerit, etc., possidet libertas; si quis dubitat num voto, promissioni, debito, satisfecerit, possidet lex, nisi novum intervenit principium.

CAPUT V

Asserta circa probabilitatem

Utiliter legi possunt Frins, *op. cit.*, p. 148, sqq., qui recentiorum scholasticorum (a saeculo XVI) doctrinas clare digessit ; Gardeil, in *Commentariolis*, supra p. 38 laudatis, qui conatur ad antiquiorem probabilitatis notionem, quam aristotelicam dicit et thomisticam, studiosorum animos revocare. Prior simplicem probabilismum tuetur ; alter reiicit.

§ 1.

De essentia et proprietate probabilitatis

Probabile, si latinam vocis formam consideramus, est id quod non quidem actu probatur, sed aptum est ut probetur, seu est in potentia ad probationem, per probationem intellegendo et demonstrationem quae quietat intellectum (secundum modum qui competit in variis materiis) et consequentem approbationem intellectus. Si itaque sola esset verbi origo consideranda, proprie diceretur probabilis illa propositio quae transitura est in veri nominis certitudinem, ac merebitur plenam adhaesionem intellectus, sicuti est theorema demonstrandum discipulo, vel sicut hypothesis aliqua a viro docto anticipatur ut solvens aliquam dubitationem, antequam ille possit eius explicitam rationem ex propriis principiis assignare. Re autem vera, quod mirum non est, probabile dicitur non tantum id quod est re vera demonstrationis susceptivum, sed quod ut tale apprehenditur ab intellectu, non cum certitudine omnimoda. Maximum itaque adest discrimen inter *demonstrabile* et *probabile*. Nam cum aliquid dicitur demonstrabile, intellectus ille quidem actu demonstrationem non dat neque fortasse expeditam (in potentia proxima) habet, sed

scit eam posse dari. Cum vero aliquid dicitur probabile, intellectus demonstrationem neque dat neque expeditam habet, neque *certo scit* eam posse dari. Carentia itaque scientiae seu certitudinis, vel formido aliqua errandi, quae pertinent ad subiectum cognoscens, essentialiter insunt notioni probabilitatis.

Id clarius etiam liquet, si ad enodandam notionem probabilitatis non ex sola latinae vocis origine (quae methodus, si sola usurparetur, esset valde perversa), sed, adiunctis aliis linguis, ex usu praesertim communi procedimus. Graece probabile dicitur *ἔνδοξον*, quod « nobile » « famosum » primo significavit, et inde videtur ad probabile depromptum : numerus itaque sic vel sic existimantium primo signatur ; opinio dicitur *δόξα* ; verbi vero *δοκεῖν* ea vis est, ut *apparentiam* saepe indicet, prout contradistinguitur a veritate[1]. At cum gallice dicimus : « C'est probable », vel « Probablement », nulli dubium esse potest quin implicitum in ea sententia sit : « Nolo affirmare ».

Haec cum ita sint, negari tamen nequit, a dubio quidem negativo assensum probabilem, seu statum opinionis, prorsus distingui quia affirmationem quandam complectatur, secundum quod dicit Aristoteles : *ἡ δόξα οὐ ζήτησις ἀλλὰ φάσις τις ἤδη* (*Eth. Nic.*, VI, 10, 1142 b, 13)[2]. Haec autem affirmatio cum dubio aliquo miscetur, etsi opinio a dubio (positivo) plus minus recedit, secundum quod probabilitas maior est vel minor. Propterea scribit S. Alphonsus : « Dubium positivum fere semper coincidit cum opinione probabili. » (*Theol. mor.*, tract. *de Conscientia*, n. 20). Rursusque : « Opinio denotat cognitionem dubiam, aut probabi-

---

1. Cfr Indicem aristotelicum Bonitzii sub his tribus verbis : ἔνδοξα δὲ τὰ δοκοῦντα πᾶσιν ἢ τοῖς πλείστοις ἢ τοῖς σοφοῖς (*Topic.*, 1, 100 b, 21-22) ; « δοκεῖν perinde ac φαίνεται opponitur veritati rei », cum his etiam quae sequuntur : interdum differre δοκεῖν et φαίνεσθαι sicut *putari* et *evidens esse* ; interdum δοκεῖν et τὰ δοκοῦντα usurpari « de his opinionibus, quae communi hominum sensu comprobantur ». Similiter, s. v. δόξα : « Itaque et placita philosophorum et vulgatae hominum opiniones δόξαι perinde atque ὑπολήψεις dicuntur...», cum exemplis.

2. Similiter in 3° *de Anima*, c. 3, 428, a. 20 : πάσῃ δόξῃ ἀκολουθεῖ πίστις. Caute S. Thomas : « Opinans habet cogitationem sine assensu perfecto, sed habet aliquid assensus, in quantum adhaeret uni magis quam alii. » *3 Sent.*, d. 23, q. 2, a. 2, sol. 1.

lem alicuius veritatis[1]. » (*Ibid.*, n. 65). Haec quidem mixtio dubitationis cum assensu, mira fortasse alicui videbitur, qui rem a priori consideraverit ; at, cum experientia suppeditetur, debet ut principium inquisitionis accipi.

Placet itaque, cum scriptoribus de re morali satis communiter, probabile sic describere : « Probabile est id omne, quod nititur motivo fallibili quidem, sed magni etiam comparative momenti, seu quod nititur fundamento, quod tale est, ut vel prudentem virum et sine praecipitatione et passione iudicantem post seriam rationum etiam oppositarum considerationem irreprehensibiliter in assensum inducat ; seu est apparentia quaedam veri antecedens, fallibilis quidem, adeo tamen magna, ut digna sit prudentis hominis assensu.» Sic Frins, *op. cit.*, p. 150, post multos.

Itaque, probabilitatis essentia sita est in ea convenientia cum intellectu qua fit ut, ante acceptam rationem quietantem, homo tamen ei aliquem assensum, et quodam modo anticipativum, praestet. Eius autem proprietas est errandi formido, qua aliquid deest quietationi intellectus, et dubitatio aliqua remanet, ne forte opposita sententia vera sit.

§ 2.

De dualitate subiecti opinantis

Difficile quibusdam videtur, veri nominis assensum cum veri nominis dubitatione in opinione componi posse, idque, quia arbitrantur, tunc fore circa idem dubitationem et assensum. Videndum est igitur, num sint re vera circa idem. Cuius contrarium

---

1. Acriter vituperat P. GARDEIL, *l. c.*, juillet 1911, p. 443 « la lamentable confusion qui a permis à certains esprits de regarder l'opinion comme apparentée au doute ». Tamen, praeter S. Alphonsum supra descriptum, vide locos S. Thomae apud ipsum GARDEIL, *op. cit.*, p. 449, sqq., e. g. : « Quandoque... intellectus inclinatur magis ad unum quam ad alterum ; sed tamen illud inclinans non sufficienter movet intellectum ad hoc quod determinet ipsum in unam partium totaliter ; unde accipit quidem unam partem, tamen semper *dubitat* de opposita : et haec est dispositio opinantis, qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius. » (*De Veritate*, q. 14, a. 1, non 1ª 2ªᵉ, q. 55, ut errore est apud Gardeil). « Intellectus assentit... non quia sufficienter moveatur ab obiecto proprio... et si quidem hoc sit cum *dubitatione* et formidine alterius partis, erit opinio... » (2ª 2ªᵉ, q. 1, a. 4).

innuit S. Thomas, cum scribit : « De ratione opinionis est, quod id quod quis existimat, existimet possibile aliter se habere »[1] (2ª 2ªᵉ, q. I, a. 5, ad 4), quasi aliud esset in mente iudicium de eo quod probabile est, aliud iudicium de eius probabilitate, seu de comparatione eius ad veritatem. Ad hanc autem insinuationem plenius evolvendam, oportet paulo altius principia de humana cognitione repetere.

Quod homo possit omnino *opinari*, id est quod in eo reperiatur inter cognitionem certam intellectivam et meram nescientiam cognitio aliqua media, id habet a natura sua ex mente et sensibus composita. Nam, quod possit esse discrimen inter repraesentationem ac plenum certumque assensum, id arguit in subiecto cognoscente qua tali dualitatem aliquam, qua possit ille quidem repraesentationes suas ad certam quandam mensuram veritatis referre, et sic de iis iudicare, et qua fiat tamen, ut non statim cum e mente pullulant, inveniat eas iam ad huiusmodi mensuram relatas, et secundum eam sponte expressas. Itaque ex huiusmodi dualitate fit possibilis in homine tam error quam opinatio et dubitatio : dubitatio quidem, dum repraesentationem habet, assensum totaliter cohibendo ; opinio autem, cum repraesentationem habet, assensum sub condicione (ut dicetur), non simpliciter, praestando ; error vero, cum repraesentationi assensum praestat, ubi esset negandus. Sublata vero dualitate, tolli videtur tam possibilitas opinationis, quam erroris. Ideo, sicut Intellegentiae infinitae neque error neque opinatio neque nescientia competit, sic spiritui creato, in suis naturalibus considerato, simplex quidem nescientia competit, error autem vel opinatio non videntur competere[2].

---

1. Habent plerique editi libri : « id quod est opinatum, existimetur... », editio vero Leonina, ut descripsimus. Nervósius sic, ut recte Gardeil advertit (*op.cit.*, p. 445).

2. S. Thomas : « Homo habet cognitionem obumbratam, et cum discursu veritatis notitiam sumentem ; unde accidit ei dubitatio et difficultas... Sed in Deo et in angelis suo modo est simplex notitia veritatis absque discursu et inquisitione ; unde non cadit in eis dubitatio aut difficultas in discernendo vel iudicando... » (*De Veritate*, q. 24, a. 3). « Sicut nobis non potest inesse falsa opinio circa prima principia naturaliter nobis nota, ita nec angelo potest inesse falsa opinio circa quaecumque quae naturali eius cognitioni subsunt... Quamvis autem mens eius sit

Sic itaque habetur, opinionem esse posse in homine, eo quod repraesentationem ab assensu seiungat. Haec cum ita sint, multum tamen erraret, qui crederet, quotiescumque homo assentiatur, repraesentationi prius formatae assensum *superaddi*. Id enim non ita est, sed potius, naturali impulsu, omnibus suis repraesentationibus homo assentiretur, nisi esset quoddam cohibens : ita ut iam explicatione indigeat, non assensus (qui repraesentationi non *supervenit*) sed potius actus ille cohibitivus qui primae perceptioni superadditur ut eius vim, quadam reflexione, extenuet [1].

---

in actu respectu eorum quae naturaliter cognoscere potest, est tamen in potentia respectu eorum quae suam naturalem cognitionem excedunt... respectu eorum quae sunt in divina cognitione,... indigens illustrari, ad ea cognoscenda, quodam supernaturali lumine... In bono angelo potest quidem respectu huiusmodi cognoscibilium esse defectus, sed simplicis negationis ; secundum quod Dionysius dicit, cap. 7, *Ecclesiasticae hierarchiae*, quod a nescientia purgantur ; non autem potest in eis esse defectus falsae opinionis ; quia cum voluntas eorum sit ordinata, non applicant suum intellectum ad iudicandum de illis quae cognitionem illorum excedunt. Sed in malis angelis, propter inordinatam et superbam voluntatem, potest esse respectu huiusmodi cognoscibilium etiam defectus falsae opinionis, in quantum exhibent praesumptuose suum intellectum ad iudicandum de his quae eos excedunt. » (*De Malo*, q. 16, a. 6). Cfr etiam 1, q. 58, a. 1 (quomodo mens angeli semper sit in actu suorum intellegibilium) et a. 5 (falsitatem esse posse in intellectu mali angeli, de supernaturalibus) ; adverte praeterea, secundum S. Thomam, inordinationem esse non posse in voluntate angelica, de bonis naturalibus (*De Malo*, q. 16, a. 3 ; cfr a. 5, ad 10, a. 6, ad 5). Vide praeterea Kantium, docentem (*Critique du Jugement*, § 76), sine nostra compositione ex mente et sensibus, non disiuncturos fuisse nos possibile a reali, recentiusque Bergson, explicantem (*L'Évolution créatrice*, p. 306, 312, etc.) quomodo ex indigentia oriatur notio absentiae seu « vacui », et negatio. (Indigentia autem ad ea entia proprie pertinet, quae non sunt semper in actu completo suae perfectionis naturalis, sed eam progressibus acquirunt. Sic homines, non angeli).

1. Rem optime explicatam invenies apud J. Maréchal, *A propos du sentiment de présence chez les profanes et les mystiques*, in *Revue des Questions scientifiques*, Louvain, t. LXIV, 1908 et LXV, 1909. [*Études sur la psychologie des mystiques*, t. I, Louvain, 1924, pp. 69-179]. Is, posteaquam problema proposuit « sensus praesentiae » « iudiciique realitatis », ac varia explicationum tentamina retulit, haec proponit : « Le problème... paraît insoluble... Essayons d'en renverser les termes : au lieu de chercher comment le réel sortirait de l'irréel, l'affirmation du doute, l'objectif du subjectif, voyons s'il ne serait pas plus simple — et pour tout dire plus logique — de poser en fait primitif le *réel*, l'*affirmation* et l'*objectif* et de chercher comment ce fait se désagrège ou se dédouble en *irréel*, en *doute* et en *subjectif*. Nous retrouverions ainsi, avec un certain nombre de psychologues modernes,... le point de vue — très net, mais insuffisamment analysé — de l'ancienne psychologie thomiste. » (*art. cit.*, t. LXV, p. 235-236) [*op. cit.* p. 118]. Laudat praeterea Spinosam (*Ethic.*, 2ª p., prop. 17, et scholium pr. 49), et James (*Principles of psychology*, London, 1902, t. II, pp. 318-319 et p. 289 : « Tout objet non

Sic igitur maior est multiplicitas negationis, dubitationis, opinionis, immo simplicis repraesentationis quae ab actualitate praescindit, quam perceptionis illius, quae est cum adhaesione omnimoda.

Discrimen tamen est inter opinionem (quae, sicut dictum est, aliqua dubitatione miscetur), et statum simplicis dubitationis. Nam in dubitatione simplici totaliter cohibetur assensus, in opinione autem manet aliquis assensus, at non simpliciter. Non quod eidem secundum idem homo assentiatur et non assentiatur, neque quod contrariis opinionibus simul assentiatur, quod est impossibile, sed quia in opinione, quasi duplex fit subiectum cogitans, *non divisione, sed reflexione*. Occupatur enim eius ratio, qua cum viribus sensitivis continuatur, apparentiis quibusdam, quae non aliter inhibentur[1] nisi quia ratio ex propriis principiis reflexe iudicat, aliqua condicione assensum debere restringi, secus imprudenter se acturam. Sola itaque imperfectio cohibitionis, non nota ulla positiva, assensum opinativum specificat. Homo igitur, qua est animal « aestimativa » vi seu « cogitativa » praeditum, repraesentationibus occupatur, et, quantum in se est, assentitur ; qua autem *in se sic aestimans* reflectitur, ad mensuram veritatis incommutabilis rem referens, iudicat suam existimationem cum errore esse posse, et in tantum cohibet assensum. Sic itaque intellegendus videtur S. Thomas, cum dicit : « id quod existimat, existimat possibile aliter se habere ». Multiplicitas enim illa, quae ex reflexione est, propria est animali rationali ; divisio autem ista, quae exsurgeret in homine si duobus contrariis simul opinative assentiretur, ita impossibilis est, ut est impossibile, eandem materiam duabus simul formis actu informari.

Advertendum praeterea est, praedictam reflexionem in opi-

---

contredit est, *ipso facto*, cru et posé comme réalité absolue »), ac docet quadrare hanc explicationem cum doctrina thomistica de Veritate increata mentem creatam ad modum amati movente (*art. cit.*, t. LXV, p. 38) [*op. cit.*, p. 120].

1. Non aliter inhibentur apparentiae nisi ex reflexione rationis, cum *una* apparet homini probabilitas, *una*que in eo est opinio. Cum vero variae exsurgunt apparentiae in diversas partes trahentes, possunt aliae alias inhibere (sicut etiam sensuum repraesentationes inter se inhibentur, ne assensus detur, ante omnem rationis reflexionem). Tunc aut resultat dubium stricte dictum, aut fluctuatio animi, nunc hoc, nunc illud opinantis.

niones plerumque *virtualem* esse potius quam *actualem,* quod ceterum cum huius actuosae vitae necessitatibus congruit in qua solent verisimilitudines ad agendum sufficere. Virtualem reflexionem dico, cum homo non actualiter mensurat ad normam rationis assensum a se praestitum, sed paratus est ad eam revocare, neque in his contingentibus cotidianis firmissimos et incondicionatos praestat assensus, sed quales ad vitam agendam sufficiant. Ubi vides molestiam illam de fere continua inordinatione intellectus, quae solet aliquos philosophos vexare, dum positivam assensus mensurationem in opinione quaerunt, ab iis facile vitari, qui assensum non *superaddi* in affirmatione, sed in negatione ceterisque supra dictis *cohiberi* putant.

Hucusque igitur constat, dualitatem quandam reperiri in subiecto opinante, quod in se quodam modo animal existimans a iudice rerum rationabili secernat. Ex iisdem principiis vidimus, contrarias opiniones de eadem re eidem *simul actu* inesse non posse. Quid haec conferant ad liceitatem usus sententiae minus probabilis, immo ad permanentiam vel elisionem eius probabilitatis, ex sequentibus patebit.

§ 3.

De sensitivo in opinione

Rationem universalem probabilitatis exquirentes, ostendimus *subiectum* genericum cognitionis probabilis esse hominem, ex sensibus et mente constantem. Inde sequitur, proprium eius et commensuratum *obiectum,* esse individuum corporeum, vel factum sensibile et contingens huius mundi materialis. Secundum hoc scribit S. Thomas : « Opinativum et ratiocinativum... est contingentium tantum... Contingentia (intellectus) imperfecte cognoscit, sicut et habent imperfectum esse et veritatem » (I, q. 79, a. 9, ad 3). Inde sequitur etiam, opinionem, non tantum in genere consideratam, sed etiam quod spectat ad specificationem uniuscuiusque opinionis, a subiectivitate sensitiva pendere, ita ut, sicut causa cur omnino opinemur sit nostra sensibilitas, sic causa

cur hic vel ille sic vel sic opinetur, sit tandem ad aliquam eius particularem sensitivam dispositionem reducenda.

Haec quidem duplex consequentia videtur habere difficultatem. Nam *in priore* quidem videmur cognitionis modum ad obiecti condicionem iniuria transferre : liquet enim factum sensibile et contingens interdum cum perfecta certitudine cognosci ; liquet etiam saepe (ne dicatur plerumque) haberi ab homine tantummodo opinativam cognitionem de iis quae sunt maxime a materia abstracta. *In altera* autem videmur omnem cognitionem quae certa non sit, ad meram imaginationem amandare ; videmur saltem id quod causa quarundam opinionum esse per accidens potest, in universalem causam erigere : detur enim saepe homines vel ex complexione sua, vel ex aliqua transmutatione corporea in quaedam iudicia inclinari, at quis asseret omnia iudicia opinativa, non solum ad usum vitae pertinentia, sed etiam ad scientias rerum et morum, ad metaphysicam, ad religionem, causam suae specificationis in aliqua sensitiva dispositione habere ?

At contra geminam nostram assertionem rite intellectam praedictae difficultates non valent. *Primo* enim, quod ad certitudinem de factis contingentibus aliquando habendam pertinet, nullatenus negatur eam posse haberi : sed negatur eam ab homine per se haberi mere intellectualiter : habetur enim, sed adiuncta intuitione sensibili[1]. *Secundo*, de cognitione rerum immateria-

1. ARISTOTELES, *Ethica Nicomachea*, VI, c. 3, 1139 b, 21 : τὰ δὲ ἐνδεχόμενα ἄλλως, ὅταν ἔξω τοῦ θεωρεῖν γένηται λανθάνει εἰ ἔστιν ἢ μή. (In hoc loco explicat Philosophus discrimen inter opinionem et scientiam). Quod sic exponit S. THOMAS : « Huiusmodi autem certitudo, quod scilicet non possit aliter se habere, non potest haberi circa contingentia aliter se habere. Tunc enim solum potest de eis certitudo haberi, cum cadunt sub sensu. Sed quando fiunt extra speculari, id est quando desinunt videri vel sentiri, tunc latet utrum sint vel non sint. Sicut patet circa hoc quod est Socratem sedere. » (*Comm. Ethic.*, lib. VI, lect. 3, VIVÈS, t. XXV, p. 490). Factum ergo contingens propter debilitatem essendi non apprehenditur certo ab intellectu : sed debet apprehensio sensatione compleri. Et ideo est, quod etiam ubi de proprietate aliqua entis corporei certa cognitio universalis habetur (« lex naturae », quae abstrahit ab individuis accidentibus), at applicatio eius hic et nunc (factum contingens) non potest ex sola ratione per se cum perfecta certitudine sciri, quia potuit ex defectu alicuius condicionis, vel addito aliquo prohibente, impediri. Sed scitur id ita fieri « ut in pluribus » (cfr 1^a p., q. 115, a. 6) ; factum autem contingens tunc esse cum plena certitudine cognoscitur, quando sensibiliter

lium plerumque opinativa, non certa : conceditur cum S. Thoma difficiliorem esse nobis in illis rebus cognitionem certam quam in scientia mathematica, vel naturali, quae experientia sensibili nitantur, et ideo saepe nos circa haec in mera opinatione remanere ; phantasma enim, quod in omni nostra intellectione necessario adsit, in mathematicis et physicis prodesse, in metaphysicis potius obesse, sive ad acquirendam certitudinem, sive ad conservandam[1]. Sed hoc ostendit rationem cur in metaphysicis saepe opinemur, non ex parte obiecti residere, sed ex parte imperfectae extensionis subiecti ad obiectum. Nullo modo igitur dici debet res immaterialis, obiectum proprium et commensuratum cognitionis opinativae, sed homo intellegitur esse debilior quam ut phantasmata sua ita moderetur, ut iis tanquam meris instrumentis utatur ad intellectualem operationem adiuvandam : immo saepe iis ducitur et allicitur, ut credat ad obiectum pertinere quicquid cum suis subiectivis dispositionibus videtur consonare, perinde ac si esset ens mere sensibile, careretque reflexione iudicativa in suas repraesentationes.

Id autem manu ducit ad intellegendum, quomodo ad dispositionem sensitivam revocemus causam specificationis omnium opinionum, signateque opinionum ad mores vel leges pertinentium, circa quas est intentio moralis theologi. Dispositio sensitiva hic praecipue intellegitur *praeoccupatio aliqua passiva*, seu praeiudicium (secundum originem vocis eius vim accipiendo) ex individuis subiecti dispositionibus exortum, et efficiens ut tanquam vera appareant et accipiantur, — neve rationis iudicio subiiciantur, quae possit assensum cohibere, — quaecumque cum universa subiecti empirici dispositione congruunt in genere repraesentationum. Omnis enim eiusmodi praeoccupatio, sive ad complexio-

---

apprehenditur. Dixi *per se*, quia fieri potest ut quis de facto sensibili quod ipse non viderit certus fiat testimonio humano (ac multo magis divino, sicut est in fide), vel ut quis ex effectu sensibili factum contingens quod eius causa sit certo cognoscat : sed ne tunc quidem certa cognitio facti contingentis est ex ratione pura.

1. Cfr S. THOMAM, *In lib. Boetii de Trinitate*, q. 6, a. 1, § « Ad secundam quaestionem » : « ...ea de quibus est scientia divina, sunt magis a sensibus remota, a quibus nostra cognitio ortum sumit... Mathematica autem ipsa sub sensu cadunt », et quae sequuntur cum verbis Ptolemaei.

nem eius pertinet, sive ad historiam subiecti (ut est educatio, auctoritas, experientia), ex sensitiva parte est, dum iudicium inter haec discernens, ut ex iis tanquam certa accipiantur quae cum mente, ut simpliciter humana est, congruunt, ad rationem pertinet. Sic itaque « dispositionem sensitivam » in sequentibus accipimus.

§ 4.

De elisione probabilitatum

Etsi contrariae opiniones de eodem eidem simul actu inesse non possunt, oppositae tamen probabilitates inter se non semper eliduntur.

Haec propositio ex iis quae diximus ostenditur ut sequitur.

Ex dictis patet, non esse idem *opinari* et explicite *de probabilitate iudicare.* Est enim qui opinetur, nec de probabilitate explicite iudicet (seu : actu cognoscat id quod sentit esse probabile), sed simpliciter non cohibeat assensum qui repraesentationi sponte comitatur. Est etiam qui et opinetur et de probabilitate explicite iudicet : ut cum quis simul habet aliquam existimationem, et actu reflexo (quem experimur tali existimationi plane esse compossibilem), iudicat possibile rem aliter se habere ; talis opinatur et scit se opinari. Sed est denique qui de probabilitate iudicet nec opinetur : ut cum quis experitur varias in utramque partem apparentias exsurgere, quae aliae alias inhibeant, ne sit assensus, vel etiam cum quis experitur se vehementer in unam partem inclinari, simul tamen percipit inclinationis illius causam in subiectivis sui individui dispositionibus esse sitam, et ideo ratione cohibet assensum aequilibriumque restituit. Quod is non opinatur, patet ; dico tamen eum de probabilitate iudicare. Cum enim abstinet ab opinando, a subiectivis dispositionibus abstrahit, et ideo desinit *cognoscere probabiliter* ; sed semper intellegit, ei qui sic vel sic dispositus esset, fore ut appareat talis vel talis pars probabilis, probabilior, probabilissima... et sic non desinit *cognoscere probabilitates,* vel, si de sententia agitur quae videretur unice probabilis, *cognoscere probabilitatem.* Proba-

bilitatem quidem qua talem non cognoscit, nisi subiectum proprium probabilitatis cointellegendo ; sed hoc nedum veram probabilitatis cognitionem tollat, eam potius statuit. Unumquodque enim tunc verissime cognoscitur, cum in suo subiecto proprio, vel melius in suis omnibus causis, cognoscitur. Sic enim Deus et angeli, qui nec *enuntiative* nec *discursive* cognoscunt [1], cognoscunt tamen omnem *enuntiabilium vel discursuum, qua talium*, veritatem, subiectum enuntians vel discurrens cognoscendo. Sic spiritus puri, qui *probabiliter* non cognoscunt, *probabilitatem* tamen cognoscunt, homines, cognitionis probabilis capaces, cointellegendo. Sic etiam suo modo ille qui de probabili reflexe iudicat, assensum opinativum cohibendo ut solis certis intellegibilibus ad tempus adhaereat, desinit quidem opinari seu cognoscere *probabiliter*, *probabilitatem* tamen non desinit cognoscere.

Iam vero, si de probabilitate iudicare possumus quin tamen opinemur, non difficile est ostendere probabilitates inter se non semper elidi.

Quod enim opiniones contrariae eidem de eodem simul actu inesse non possunt, eam causam habet, quod tunc idem subiectum duabus formis eiusdem speciei in esse naturae simul informaretur, quod non potest fieri [2]. Subiectum opinionis non est mens sola, sed mens cum aliqua sensibilis partis dispositione in quandam partem inclinante accepta, ut ex supra dictis habetur. Porro, sicut non potest sensibilis potentia simul in contraria inclinari, sic non possunt simul haberi contrariae opiniones. Est enim quasi forma subiecti opinantis, qua talis, dispositio in mente resultans ex inclinatione partis sensitivae, ut dictum est.

Sed valde aliter est cum quis reflexione intellectuali dispositiones suas sensitivas sive praesentes sive possibiles supergressus, intellegit se, si sic vel sic disponeretur, in hanc vel illam partem assensurum. Nihil enim prohibet quominus uno intuitu plures tales dispositiones comprehendat, probabilitatesque relativas [3] iis

1. *Contra Gentiles*, I. 57, 58. — 1ª p., q. 14, a. 7 ; q. 58, a. 3 et 4, etc.

2. *De Virtutibus in communi*, a. 11. — 3ª p., q. 35, a. 5.

3. Relativas eas quidem, sed veras ut sunt probabilitates ; vel potius relativas, et ideo veras, cum suo debeant cointellegi subiecto.

cointellegat : cum enim eae sic simul menti eius insunt, non ibi sunt ad modum formarum naturalium, quarum una alteram expellit, sed ut cognitae, ut intellectae ; ita ut ipsa earum contrarietas rationem praestet cur possint simul intellegi[1] (Vide 1ª p., q. 85, a. 4).

Sic igitur dicendum est, probabilitates oppositas inter se non elidi, quotiescumque saltem intellegantur esse tales respectu animalis rationalis aliter et aliter dispositi. Ipsa enim probabilitatis ad talem dispositionem relativitas, quae eam in suo esse probabilitatis constituit, impedit ne tollatur ab opposita in conspectu eius qui, sensitiva omnia praeiudicia, quod ad se pertinet, quantum potest, supergrediens, dispositionibus sensitivis omnes probabilitates cointellegit.

Adverte, eos qui arbitrentur probabilitates inter se necessario elidi, hoc nostrum discrimen inter subiectum opinionis et subiectum iudicii reflexi minime attendere, ideoque semper supponere idem esse praesentiam simultaneam probabilitatum, cognitarum ut sunt tales, in aliquo intellectu, cum assensu opinativo omnibus illis simul praestito. Cum enim dicunt : « Vis et efficacia motivorum quae militant pro minus probabili superatur et eliditur a motivis fortioribus probabilioris »[2], evidenter supponunt idem esse subiectum cognitionis omnium illorum motivorum in ordine ad assensum obtinendum. Quod non ita esse ostendimus, sed magis liquet haec vel illa motiva fortiora apparere, secundum quod mens iudicans se cum tali vel tali subiecto sensitivo identificet. Dum autem a tali identificatione abstinet, non potest opinari.

Perspicitur denique ex dictis, quandonam oppositae probabilitates dici possint inter se elidi. Id tunc solum fieri dici potest, quando ex progressione unius eiusdemque status opinativi effi-

---

1. Quae enim sunt contraria in re, eorum rationes non sunt contrariae in mente cum apprehenduntur, « sed magis unum contrariorum est ratio cognoscendi aliud, propter quod est una scientia contrariorum ». 1ª 2ªᵉ, q. 35, a. 5, ad 2, et saepe.

2. Beaudouin, *op. cit.*, p. 120. Vide etiam Gardeil, *l. c.*, 20 aprilis 1911, p. 254.

citur, ut eae apparentiae quae prius pro una parte facere videbantur, diligentius penetratae, vel nullae omnino esse, vel pro altera parte facere conspiciuntur : tunc una probabilitas totaliter in alteram evanescit[1]. Quando autem sic tantum sunt homogeneae probabilitates, ut ambae e. g. ex auctoritate scriptorum, sanctorumve exemplis depromantur, tunc, etiamsi inhibetur assensus, nullatenus tamen inter se probabilitates eliduntur, sed desinens homo probabiliter cognoscere, pergit cognoscere probabilitates, ut supra diximus.

§ 5.

De appetitivo in opinione

Dicet fortasse quis, argumentationem supra factam, multo plus quam oporteat re vera probare. Nam si ex correlatione cum quadam dispositione sensitivae partis, aliqua sententia probabilis dicitur, et si propterea contrariae probabilitates inter se non eliduntur, legitime videtur inde sequi, omnes sententias quarum oppositae plane certae non sint, esse ac remanere probabiles, quantumcumque in probabilitate excedantur, et quamvis tenuiter sint ipsae probabiles. Semper enim poterit cogitari dispositio sensitiva huiusmodi, ut quis in ea constitutus a tali probabilitatis apparentia trahatur ad assensum. Aliis verbis, videtur ex tradita doctrina idem fieri ex *probabili* et *opinabili*[2]. Id autem laxitatem inducit, ut statim per se liquet, et ut habetur insuper ex condemnatione prop. 3ae ex 65 Innocentii XI : « Generatim, dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus[3]. » (Denz. 1153).

---

1. Aliter FRINS, *op. cit.*, p. 195.
2. « Apud doctores catholicos, probabilitatum patronos, opinabile reipsa differt a probabili tanquam genus a differentia ; dividitur legitime per probabile et improbabile... » (ESPARZA, *De usu licito opinionis probabilis*. Appendix. Ap. FRINS, *op. cit.*, p. 160).
3. Haec propositio erat Thomae TAMBURINI, Itali, S. I. (1591-1675), in sua *Explicatione decalogi*, l. I, c. 3, § 3, n. 3. Propositiones 65 a Pontifice damnantur « sicut iacent, ut minimum tanquam scandalosae et in praxi

Itaque videndum est secundum quamnam normam, intra fines doctrinae supra traditae, distingui possit ac debeat vera et solida probabilitas a tenui et falsa probabilitatis apparentia. Id autem fiet, discernendo quales sensitivae partis habitudines homo licite possit acceptare et quodammodo mente induere, ut secundum eas de probabilitate iudicet. Aliis verbis : cum unicuique opinabili, etiam falsissimo, aliqua sensibilis dispositio respondeat, quam quis induens et acceptans possit secundum illud iudicare (idque maxime patet in illis opinionibus quae bonis moribus opponuntur), quaeritur num sit nota quaedam qua dispositio huiusmodi eligibilis vel ineligibilis appareat ; si enim nulla talis nota datur, videntur omnes opiniones remanere assumptibiles seu eligibiles, nulla expulsa vel elisa, quod laxismum, immo scepticismum in rem moralem inducit.

Huic quaestioni primo quidem facile respondetur, quod pertinet ad eas opiniones quae contrariae essent alicui veritati certo cognitae. Etsi enim verum est cogitari posse dispositionem sensitivam talem, ut quis in ea constitutus, phantasmatis mentem

---

perniciosae », nec difficile est videre, quomodo prop. 3ª scandalum generare laxitatemque fovere potuisset. Ipsius tamen Tamburini sensum vide apud ipsum, n. 21, vel ap. FRINS, *op. cit.*, p. 228. Adverte praeterea, nullatenus ex assumptione huius sententiae in catalogum damnatarum consequi, ut dicere debeat theologus dari re vera propositiones tenuiter probabiles, fines tamen probabilitatis non excedentes. Id enim negare possunt vel antiprobabilistae, arbitrantes probabilitates oppositas inter se elidi, ita ut ea quae superatur, nequaquam remaneat probabilis (cfr GARDEIL, *l. c.*, p. 238 et not. 3, ac p. 264-266), vel probabilistae, si putant extra fines probabilitatis expelli, et ad merum opinabile reduci, eas sententias, quae tenui tantum verisimilitudine sollicitent ad assensum. Sic re vera sentiunt (id est, negant dari tenuiter probabiles) quicumque vel *gravitate* momenti vel potestate movendi virum *prudentem* probabile diffiniunt. Hoc autem fit communiter, et hunc usum supra sumus secuti, p. 53. Quod si quis omne opinabile diceret probabile, vel cum Caramuele doceret, contradictoriam sententiae probabilis eo ipso esse probabilem, is, ut patet, dicere non posset licitum esse usum cuiuslibet probabilis, sine immani laxitate.— Opinabile quidem etiam falsum (vel contra veritatem certam, ut opinio haeretica, vel contra probabilissimam sententiam) ei qui sic opinatur apparet probabile, sicut etiam complura quae sunt falsa, certa apparent errantibus. Sed hoc ipsum nunc quaerimus, quomodo verum probabile a falso distingui possit : quod eo difficilius est, quod in probabili constituendo dispositio sensitiva correlativa immiscetur, sicut dictum est. Adverte theologos, dum prudentiam requirunt tanquam normam unde tandem probabile dignoscatur (e. g. FRINS, *op. cit.*, p. 157), re vera nos ad bonam dispositionem sensitivam remittere (sine qua prudentia non est).

obnubilantibus, erronee in illa materia iudicaret, at evidenter patet, illicitum esse ut quis se ita sensibus tradat et mergat, ut, veritatis prius cognitae voluntarie oblitus, adhaereat falsitati. Peccans is « in lucem », ut aiunt, deordinatione maxima ignorantiam affectaret[1], et sensus, qui subservire debeant intellectioni, dominos constitueret intellectionis. Advertas tamen velim, rem non tantummodo locum habere in magnis illis peccatoribus qui, dum voluptatibus indulgent, volunt conscientiae vocem sopire, et, quantum homini possibile est, secundum solos voluptatis fines iudicare[2]. Sed homo ex. gr. scrupulosus, qualem supra descripsimus (p. 27) rationabiliter quidem certus est se posse licite agere, experitur autem, ex parte animalis existimantis, varias imaginationes et opinionum inchoationes quae coalescere conantur in iudicium firmum de peccato. Is si motibus illis sensitivae partis contra iudicium rationis cedit, facili quidem negotio efficiet, ut amplectatur tanquam probabile, opinabile illud quod falsi timores sensitivae partis suggerebant, et tamen in hanc partem non inclinabitur, nisi vim faciendo veritati satis notae, sicque (per se loquendo) peccabit. Idem aliquatenus facimus, quotiescumque, certitudine morali scientes actionem aliquam nobis molestam hic et nunc expedire, eam omittimus, opinione de industria conficta rem non expedire, ne nobis videamur imperfectionem scienter admittere : tunc enim, contra veritatem moraliter satis notam, sensitivae partis amor efficit, ut contrarium a nobis iudicetur probabile.

Haec autem manu ducunt ad intellegendum qua via distingui possit id quod veram habet probabilitatem a simpliciter opinabili, ubi non est conflictus existimationis sensibiliter inchoatae cum veritate certa, sed ubi variae existimationes (inter se, ut diximus, non elisae) se menti eligendas offerunt, et ubi propterea opus est iudicio reflexo ad agendum.

---

1. Cfr 1^{a} 2^{ae}, q. 76, a. 4 : « Quandoque... ignorantia directe et per se est voluntaria, sicut cum aliquis sua sponte nescit aliquid ut liberius peccet ; et talis ignorantia videtur augere voluntarium et peccatum ; ex intensione enim voluntatis ad peccandum provenit quod aliquis vult subire ignorantiae damnum propter libertatem peccandi. »

2. Cfr supra, p. 13, et locos S. Thomae ibi laudatos.

Nam in exemplis supra allatis, in quibus sensitivae partis irrationabilis amor vel timor existimationem aliquam contra veritatem satis notam suggerebat, cui existimationi mens poterat consentiendo cedere, in illis inquam exemplis videmus, praeter inclinationem partis sensitivae[1] caeco suo modo praeoccupatae, necessarium esse mentis consensum ut aliquid actu reflexo probabile iudicetur. Dico : « ut actu reflexo probabile iudicetur » : ut enim simpliciter assentientes opinemur, assensum reflexione non qualificantes, non requiritur ullus actus positivus, sed sufficit carentia inhibitionis, sicut supra est explicatum (p. 55-56). Sed quotiescumque opinionem eligimus *ut* probabilem, habetur re vera actus appetitivus, motum dico voluntatis, quo non in enuntiabile qua verum tendimus (verum enim qua tale obiectum est intellectus, non voluntatis), sed quo *ut bonam* nobis dispositionem sensitivam eligimus, quae correlativa est dictae opinionis, secundum supra explicata (p. 59). Ex hac igitur appetitione, quae invenitur in omni opinatione implicita, id desumetur unde fiet discrimen inter opiniones vere probabiles (= « acceptabiles », assumptibiles) in genere morum, et opiniones improbabiles seu mera opinabilia.

---

1. *Inclinationem* dico partis sensitivae, etsi hic non sola appetitiva sensitiva, sed cognitiva sensitiva intellegitur, quia sensus qua talis inclinatur, trahitur, movetur ab obiecto, seu cognitio sensus est « passio »; cfr *De Veritate*, q. 26, a. 3, ad 4 ; *Contra Gentiles*, 2, 57, *3 Sent.*, d. 14, a. 1, sol. 2, etc.

2. E Scholasticis qui nunc sunt, plures satis aegre concederent electionem appetitivam, seu declinationem voluntariam in unam partem esse *de essentia* opinionis, vel *de essentia* iudicii reflexi de probabilitate (cfr GARDEIL, *l. c.*, julii 1911, p. 453, sqq. : « Le sujet de l'opinion et ses facteurs subjectifs ». Adverte, si quis concedat « formidinem errandi » ad essentiam opinionis pertinere, eum non ideo continuo dare huius formidinis radicem in dicta electione sensitivae dispositionis esse sitam). S. Thomas scribit : « Assentit intellectus alicui dupliciter : uno modo, quia ad hoc movetur ab ipso obiecto... sicut patet in principiis primis... sicut patet de conclusionibus, quarum est scientia. Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab obiecto proprio, *sed per quandam electionem voluntarie declinans* in unam partem magis quam in aliam ; et si quidem hoc sit cum dubitatione et formidine alterius partis, erit *opinio ;* si autem sit cum certitudine absque tali formidine, erit fides. » 2^a 2^{ae}, q. 1, a. 4. (Similiter 1^a 2^{ae}, q. 17, a. 6, de assensu ab apprehensione distincto, et interdum in nostra potestate constituto : hic tamen opinio non expresse commemoratur ut ad hos assensus essentialiter referenda). Nostris tamen temporibus melius quam S[ti] Thomae possumus huius electionis seu voluntariae declinationis naturam diffinire.

Dixi *implicitam*. Patet, in opinatione quae est sine iudicio actuali de probabilitate, momentum appetitivum multo magis latere implicitum, quam in opinatione quae est cum tali iudicio. Id patet primo in opinationibus multis ad usum vitae pertinentibus, in quibus homo se duci sinit apparentiis obiectorum, bonum iudicans sic agere, indignumque reputans de singulis contingentibus accuratam inquisitionem instituere : non enim explicite id cogitamus, sed habitualiter scimus sic in vita expedire. Id etiam patet in multis opinionibus speculativis : cum enim quis praeiudiciis sensitivis praeoccupatus (« idola specus », « idola theatri »), alicui opinioni adhaeret, saepe ita in eam inclinatur, ut ne curet quidem eam ad mensuram veritatis comprobare. Immo, quo vehementius praeiudiciis tenetur, eo magis obcaecatur, ne percipiat rationes in contrarium. In eo itaque opus non est actu aliquo electionis quo dispositioni suae sensitivae consentiat, ut secundum eam iudicet : ei enim totus quasi immergitur, eius relativitatem non agnoscens. — Sed etiam cum quis opinans iudicat se non nisi probabiliter iudicare, necesse non est, ut explicite cogitet, se dispositioni sensitivae consentire, et sic bonum quoddam eligere. Id tamen semper in opinione ut tali cognita aequivalenter invenitur, ut patet ponderanti varias sententias quibus opinantes finem imponunt disceptationibus, dum dicunt ex. gr. : « Sic saltem *mihi* videtur », vel : « Ego sic constitutus sum : mihi praeplacet haec opinio, illa displicet », vel : « De gustibus non est disputandum », et similia. Talibus enim verbis et subiectivitas opinionis agnoscitur (quod idem est, ut diximus, cum eius ad sensitivitatem relatione) et tamen eadem opinio, ut cui assentiatur, eligitur,

---

Melius enim perspicitur, in omni cognitione, non tantum in opinatione vel fide, appetitionem aliquam esse implicitam ; etsi interdum dicunt eam esse « liberam » etiam in assensu praestito exsistentiae mundi corporei, primis principiis, demonstrationibus scientiae, quod falsum est. Melius etiam perspici potest, illam appetitionem non directe in obiectum qua tale seu in enuntiabile tendere, sed in aliquam subiecti dispositionem, qua se cointelligit et (cum appetitio libera est) quodammodo coaptat obiecto (« aperception active de soi », « moment de sympathie dans la connaissance »,etc.). Sic ex. gr. in quaestione de actu fidei intellegitur, quomodo « pia voluntas credendi », quae est quaedam subiecti volitio, suique in Deum conversio, possit esse perceptioni veritatis religionis necessaria.

quia conveniens subiecto. Neque in hoc quicquam contra rationem est, si quis, liquidam certamque veritatem non habens, id ut probabile fovet quod sibi videtur probabile, sic existimationibus suis (plus minus animalibus) utens ut umbris quibusdam anticipationibusque veritatis : ad hoc enim in nobis pars sensitiva naturaliter ordinatur. Tunc autem esset deordinatio 1°) si quis tanquam plane certa daret quae sibi sunt probabilia ; 2°) si quis efficeret ut sibi vera apparerent quae sibi placent secundum appetitum sensitivum ratione non regulatum. Utroque enim modo similis deordinatio inveniretur : amoris videlicet propriae subiectivitatis pro amore Veritatis substituti. Ideo debet unusquisque opiniones suas prudenter ad normam veritatis probare, ita ut eas vel in assensus certos commutet, vel, si falsas esse percipiat, exuat, vel saltem ut earum subiectivitatem agnoscat : hoc nihil aliud est, nisi reflexio subiecti in actum proprium, qua appetitionem illam implicitam, de qua dicebamus, traducat in explicitum.

§ 6.

De delectu opinionum, sive de soliditate probabilitatis

Opinionem aliquam homo licite amplecti potest ut probabilem, quotiescumque percipit dispositionem subiectivam ei respondentem indui a se posse sine ullo purae intentionis, qua ad Deum tendere debet, detrimento. — Id autem percipit vel ope prudentiae et quasi quodam instinctu, vel collatione et discursu, praesupposita tamen debita diligentia in inquirendis actionis circumstantiis quae ratione cognosci possunt. — Quantumcumque vero prudentia crevisse supponitur in homine lapso, nunquam tamen totaliter tollit omnem incertitudinem in moralibus, neque consequenter omnem usum probabilitatis.

Ex antea dictis, non difficulter patet pars prior huius asserti. Solvitur enim, ut arbitramur, obiectio principio praecedentis paragraphi posita, de nimia probabilitatis extensione ac de consequente laxismo (pp. 63-64), solvitur, inquam, quaestionem transferendo e sola cogitatione ad voluntatem, e sola motivorum aestimatione

ad dispositionum subiectivarum appretiationem. Quaestio itaque *num haec opinio sit probabilis* reducitur ad quaestionem *num haec subiecti dispositio sit eligibilis.* Et sic liquet quomodo recta habitudo voluntatis sit verae falsaeque probabilitatis discretiva futura, et quomodo, relativa indole probabilitatis plene tamen agnita, laxismus excludatur. Aliqua enim opinio erit solide (et ideo practice) probabilis, non tantum secundum quod placebit subiecto sic vel sic sensibiliter disposito, sed secundum quod mens ad Deum [1] voluntarie ordinata percipiet eligibilem vel approbabilem sibi esse dispositionem sensitivam iuxta quam dicta opinio apparet esse probabilis.

Exemplis res illustretur. — I. Paulus contumelia affectus de ratione agendi deliberat. Dum iracundiae motus insurgunt, percipit ille quidem, sibi, si ira totus occuparetur, fore ut appareret satis probabilis, immo fortasse unice probabilis, sententia *vindictam esse bonam* seu *laesum ius esse quovis modo reparandum.* Respuens autem voluntate dispositionem illam inimicitiae, utpote praecepto caritatis contrariam, excludit simul correlativam probabilitatem laxae sententiae. — II. Eulalia, audito sermone de vana gloria ex bonis operibus saepe concepta, opinionem concipit sibi perfectius esse, vel etiam necessarium, ut a quodam opere bono publico abstineat, et ea de re consulit confessarium. Is ei ostendit, propter passionem timoris ex audito sermone exortam, bonum illud opus nunc illicitum ei videri, revocatque in memoriam praeteritas animi dispositiones, cum pium illud negotium aggrediebatur. Annuit illa rationabiliter, tremensque etiam tunc, voluntate tamen improbat praesentem ignaviam, approbat praeteritam fiduciam, et contra existimationem animalem, iudicat rem sibi licere. — III. Chrysostomus, religiosus S. Francisci, semper tenuit cum S. Bonaventura, cui est devotissimus, necesse esse peccatorem confiteri statim post lapsum in mortale, habita confessarii copia, contrariamque doctrinam habuit ut laxam. Is,

1. Dico « ad Deum », non « ad legem » vel « ad libertatem », vel ad quodvis aliud bonum medium, natura quidem sua ductivum ad Deum, sed cuius tamen nimius amor possit in opinionibus eligendis inordinationem inducere, sicut patet in exemplis scrupulosi hominis et laxi.

colloquens cum Ioanne amico, O. P., viro docto et integro, audit ab eo defensionem oppositae sententiae, quae est Doctoris angelici. Miratus primo multum et indignatus, percipit tamen ex dictis benigniorem sententiam non necessario ex nimia indulgentia comprobari et cum magno divinae gloriae zelo conciliari posse. Rationem demonstrativam pro sua opinione quaerens non invenit, confabulationique finem imponit his verbis : « Magnas semper experiar in istam tuam sententiam repugnantias. Video tamen me, si dominicanus fuissem, idem tecum fuisse sensurum. Ideo, ne iugum Christi imprudens aggravem, novi peccati condemnare non audebo eos qui statim non fuerint confessi ». Is itaque 1) subiectivitatem suae opinionis agnoscit ; 2) dispositionem sensitivam qua talem non potest, statim saltem, exuere ; 3) voluntate tamen desinit ei ita adhaerere, ut opinionem ei respondentem tanquam certò veram vel tanquam unice probabilem acceptet. — Consimilia multa fingi possunt exempla, in quibus semper invenies declinationem aliquam voluntatis *ab* aliqua dispositione empirica vel *ad* aliquam dispositionem empiricam secum adferre iudicium de probabilitate correlativae opinionis, (quin tamen, ut patet, semper possit subiectum huius sui actus analysim instituere). Invenies etiam saepe hominem bonae voluntatis duas vel plures tales empiricas dispositiones tanquam acceptabiles iudicare, quia nihil in ulla eorum reperiat, quod obsit purae intentioni divinae gloriae. Erunt igitur correlativae opiniones solide (i. e. practice) probabiles, cum non possit dispositio mere empirica in normam boni et mali moralis prae alia similiter innoxia[1] erigi.

Sic itaque satis constaret, contrarias opiniones simul ab homine accipi posse ut practice probabiles (figmento « elisionis » excluso, ob relativitatem probabilitatis ad statum empiricum, quin tamen laxismus inducatur), si semper dispositio empirica tale quid esset, quod posset a mente iudicante ut seiunctum accipi et a subiecto separari, ut tanquam obiectum externum consideretur.

---

1. *Innoxiam* dico, cum recta voluntas dispositionem omnem noxiam respuat. De dispositione *minus perfecta* aliter res se habere potest.

Quod quidem res sic saepe se habeat negari nequit et patet in triplici exemplo supra allato. In primo enim, dispositio irae nondum occuparat Pauli animum, ideoque tam de ea quam de iudicio secundum eam procedente facile poterat iudicare. In secundo, etsi passio timoris ita Eulaliam invaserat ut falsam opinionem in ea gigneret, at, cum fiduciae praeteritae memor esset, potuit, ex apice mentis, relativitatem sensitivae dispositionis agnoscere et ab ea dissentire, id est se ea exuere, quod ad iudicandum pertinebat. In tertio exemplo, Chrysostomus ipse quidem nunquam aliam dispositionem empiricam induit, praeter eam qua opinabatur cum Bonaventura, sed exemplo Ioannis intellexit hominem aliter empirice dispositum eadem cum verisimilitudine, eodem animi candore, Thomae sententiam posse sequi : *rationabiliter* itaque *noluit* sententiam suam tanquam unice veram practice habere, id est oppositae probabilitatem agnovit. — In his igitur et similibus exemplis, homo facile a dispositionibus empiricis abstrahit, libereque inter eas eligit, quas invenerit a Veritate morali non abducere.

Quod si qua dispositio empirica talis esset, ut a priori sciretur ad Veritatem moralem inclinare, id est ita subiectum disponere, ut quasi quodam instinctu secundum virtutem iudicaret, tunc non magis liceret [1] ea se exuere, quam liceat, potentiarum sensitivarum aequilibrio dimisso, passionem vitiosam iudiciumque secundum eam procedens eligere. Sed advertendum est, in electione iudicii conformiter ad talem dispositionem facta, non inesse incertitudinem probabilitatis. Est enim huiusmodi dispositio, in quantum ad virtutem infusam pertinet, a gratia impressa, in quantum vero ad virtutem acquisitam pertinet, a ratione. Ideoque dispositio sensitiva hic non est ut simpliciter praecedens iudicium rationis (unde haberi solet quod possit illud pervertere, animali quadam et praecipiti attractione subiecti opinantis), sed ut illud consequens, — non solum ut alliciens ad iudicandum, sed ut iudicata, et idcirco ut scienter et iure (etsi habitualiter) volita. Qui

1. Semper tamen distingue licitum a minus perfecto. Non peccat homo virtute praeditus quotiescumque non secundum totam intensionem virtutis operatur.

huiusmodi habitu utitur ad eligendum, scit se veritatem practicam possidere, quae in « conformitate cum appetitu recto » sita est (cfr supra, p. 17-18), et ideo certitudinem in eligendo cum libertate coniungit.

Bona igitur dispositio sensitivi, quae est moralis virtus, — etsi non potest ita a subiecto separari, ut de ea tanquam de re externa iudicet, cum ipsa subiectum iudicans aliquatenus constituat, — non tamen impedit iudicium illud de dispositione subiectiva, quod diximus necessarium esse ad veras probabilitates discernendas, sed illud multo expeditius certiusque reddit, cum pro collatione rationali experimentalem quandam perceptionem substituat. Hoc itaque intendimus, cum dicimus in asserto nostro iudicium de dispositione sensitiva recte fieri ope prudentiae. Prudentia enim, ut est antea explicatum, consequitur virtutes morales, et iudicat de propriis agibilibus subiecti (Cfr supra, p. 12, p. 18).

Qui igitur prudentia praeditus est satis exquisita, naturali quodam motu et a priori excludet tanquam sibi displicentes, dispositiones illas sensitivas quae cum virtute non quadrarent, et eo plures eoque veniales, quo erit prudentior. Sic itaque quo magis crescet in subiecto virtus moralis, quae perficit potentias sensitivas appetitivas, ac prudentia, quae se extendit usque ad *sensum* internum (ut docet Angelicus post Philosophum, in 2^a^ 2^ae^, q. 47, a. 3, ad 3), eo minor fiet in eodem subiecto incertitudo probabilitatis (quae provenit ex indeterminatione partis sensitivae ad veritatem, sive generice spectatur sive individualiter, ut habetur ex supra traditis).

Qui autem « sensus » non habebunt ita « exercitatos ad discretionem boni et mali » saepius in moralibus haesitabunt, sive quod peccatum, praesertim leve, non facile expediteque percipiant, ubi adsit, sive quod, timoribus agitati, peccatum ibi adesse suspicentur, unde absit. Iis igitur opus erit, per se, maiore collatione rationali ad agendum, cum facilius fieri possit ut motivis inordinatis (implicite saltem) moveantur ad opinionem aliquam, praesertim si sit benignior, amplectendam, — cum etiam facilius ignorent generalia principia, sive rationalia, sive iuris positivi,

quae fortasse quaestionem dirimant, et a probabili transferant ad certitudinem.

Omnibus tamen opus est, ut, antequam ad liberum opinionum delectum procedant, sedulo inquirant in eas actionis circumstantias quae cognitae possunt vel certitudinem inducere, vel statum qui dicitur unicae probabilitatis (quo videlicet omnes dispositiones subiectivae praeter unam ineligibiles apparerent). Omissio enim dictae inquisitionis cum pura intentione divini servitii evidenter non potest coniungi.

In tertia parte asserti dicimus prudentiam, quantumcumque crescat in homine lapso, non posse tamen ita incertitudinem rei moralis tollere, ut delectus probabilitatum superfluus evadat.

Contendit Doctor Oscar Renz, in opere ceteroquin solido (*Die Synteresis nach dem heiligen Thomas von Aquin*, Münster i. W., 1911, *Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters*, Band X, Heft 1/2, praesertim p. 174-175), superfluere omnia recentiorum « systemata moralia » quae dicuntur, si quis thomisticam notionem virtutis, ac praecipue prudentiae, recte intellexerit, satisque ex ipsa virtute perspicere virtuosum quid sibi hic et nunc agendum sit, sublata probabilitatum incertitudine.

Interdum quidem, ex mero *individualis* prudentiae defectu procedere quod quis in moralibus haereat, certitudine carens, ex praedictis satis evidens esse potest. Exempla si quaeruntur, afferri possunt eius qui nesciat an cum amari animi homine, qui in fide haesitet et adversus ecclesiasticam potestatem iratus sit, severis an suavibus verbis agendum sit, — vel eius qui, religiosa regula silentio adstrictus, dubitet num illud debeat frangere propter aliquam proximi utilitatem, — vel eius, qui, legitime ab abstinentia exemptus, dubitet num tamen servare debeat propter aedificationem, etc. Nam in his omnibus, homo si esset in prudentia exquisitior, facilius certiusque iudicaret de motivo quo movetur ad talem dispositionem sensitivam amplectendam (= talem opinionem approbandam), ac simul melius perspiceret, quid a se requirat caritas proximi : tolleretur itaque illa incertitudinis radix, quae est ex appetitu sensitivo virtutibus non subiecto.

Sed interdum etiam perspicuum est, non ex individualis prudentiae insufficientia procedere, sed ex *naturali* defectu, quem in hoc providentiae ordine virtus infusa non sanet, quod quis certitudinem directe non habeat de eo quod est a se praestandum. Nam cum quis ex. gr. nescit num hic dies sit abstinentiae, vel aliud quid ignorat quod ad positivam legem pertineat, non semper in causa est neglegentia culpabilis, sed potest esse defectus memoriae, vel hebetudo mentis in casibus singularibus sub lege data subsumendis, vel alia similia, quae a prudentia supernaturali reparari non solent, ut experientia patet. Etiam in exemplis pag. 73 allatis, si quis diligenter considerat, inveniet quasdam externas circumstantias homini prudentissimo vel ignotas remanere posse, ita ut inculpabiliter id admittat quod non expedit, vel dubias, ita ut non solo instinctu, sed principio reflexo indigeat ad agendum.

Qui igitur docet prudentia tolli omnem incertitudinem in moralibus, ita ut probabilitatum collatione nunquam opus sit, is videtur doctrinam suam cum recta praesentis reparationis explicatione conciliare non posse. In statu enim naturae innocentis, praeternaturali Dei beneficio, gratia toti naturae collata ab homine sustulisset, ut videtur, omnem errorem etiam inculpabilem, dum vires inferiores, ut imaginatio et memoria sensitiva, nunquam ab ordine rationis exorbitassent, ac deceptiones ab externo divina Providentia praecavisset (Cfr *De Veritate*, q. 18, a. 6, et 1ª, q. 94, a. 4). Nunc vero cognitio supernaturalis (prudentiam complectens) ita confertur, vel potius ab homine naturaliter vulnerato ita recipitur, ut sanet id quod ad *personam* pertinet, defectus *naturales*, sive totam speciem lapsam consequentes, sive huic individuo proprios[1], per se non reparando. Tollit ergo prudentia defectum illum ex parte sensitiva, qui est ex debilitate voluntatis, saepe voluptati sensibili cedentis, ne veritatem in practicis possi-

1. « Aliquid potest esse naturale alicui dupliciter : uno modo secundum naturam speciei, sicut naturale est homini esse risibile, et igni ferri sursum ; alio modo secundum naturam individui, sicut naturale est Socrati vel Platoni esse aegrotativum vel sanativum, secundum propriam complexionem... » 1ª 2ªᵉ, q. 51, a. 1, cfr q. 63, a. 1.

mus percipere, secundum supra explicata ; potest etiam homo tempore et conatibus minuere defectus naturales non morales ex individua complexione procedentes ut est ex. gr. obliviositas ; at defectum illum totam speciem consequentem quo fit ut sit in nobis opinionis incertitudo, vel dubium, utque quaedam nobis utilia nos lateant, hunc, inquam, defectum, qui in statu innocentiae futurus non fuisset, nulla potest bona voluntas nunc, cum auxilio gratiae ordinariae, tollere. In multis certe, secundum rationem sibi ignotis, homines sancti divinis instinctibus ducuntur, qui instinctus sunt ad « dona Sancti Spiritus » referendi ; sufficerentque profecto huiusmodi instinctus, si iis homo in omnibus moveretur, ad omnes defectus cognitionis practicae infallibiliter sanandos, sed illa supplementa prudentiae supernaturalis non solet, ut videtur, Deus, etiam maximis sanctis ita continuo tribuere, ut nunquam in operando errent, multoque minus, ut de externis circumstantiis, antequam agant, nunquam dubitent, sicut luculenter liquet ex historia [1].

Rationi tamen consentaneum est, — quod etiam experientia confirmatur, — ut quis, sicut supra tactum est p. 72, dum in prudentia crescit, minores semper experiatur incertitudines et haesitationes de agendis, si tamen externae circumstantiae fere aequaliter se habere supponuntur. Id viri pii sentiunt fieri dupliciter : 1°) dum vitiorum, ac praesertim amoris proprii malitiam, quam antea in quibusdam actionibus latere vix suspicabantur vel ad summum opinabantur, nunc in iisdem adesse certo percipiunt ; 2°) dum, contra, quaedam, de quibus antea satis timebant ne sine peccato non possent fieri, libere posthac aggrediuntur cum

1. Ipsam B. Virginem, quam credimus a peccato originali immunem fuisse, videmus tamen, non proprie de bono malove (= de licito) dubitasse, sed et externae ordinationis Dei ignaram (*Luc*, 1, 34) fuisse, et quaedam non intellexisse, quae ad Filii gubernationem pertinerent (*Luc*, 2, 50). S. Joseph videmus id apud se, ex ignorantia, statuisse, quod divinae voluntati contrarium erat : ἐβουλήθη ἀπολῦσαι (*Mt.*, 1, 19). Cfr iterum 1^{am} 2^{ae}, q. 19, a. 10 : « Utrum necessarium sit voluntatem humanam conformari voluntati divinae in volito, ad hoc quod sit bona. » Quamdiu cognitionem ab exteriore haurimus et subdimur legibus positivis externis, possumus inculpabiliter quaedam ad agendum pertinentia ignorare, nisi obstat Providentia specialis.

videant esse a culpa immunia. Eiusmodi transitus a probabilitate ad certitudinem secundum principia a nobis proposita facile intellegi potest, eoque doctrina nostra confirmatur. Patet enim ex eo relativitas probabilitatis ; patet periculum incurri, si aut libertas, aut lex, tanquam principium electionis opinionum assumitur ; patet interdum hominem peccato vacaturum fuisse, utrumlibet eligendo ; patet eo minus ei eligibilem vel assumptibilem videri debuisse dispositionem severiorem aut benigniorem, quo clarius per prudentiam (licet imperfectam) videret se aut ad scrupulos, aut ad nimiam laxitatem inclinari.

§ 7.

Consectaria quaedam traditae doctrinae

Ex praedictis perspici etiam potest quomodo nobis loquendum esse videatur in quaestionibus quibusdam, in scholis agitari solitis, et quas adhuc indeterminatas reliquimus.

I. Primo quidem, quod attinet ad probabilius, minus probabile, aeque probabile, distinctione utendum est. Si enim intellegitur « minus probabile » id quod tale apparet homini ut est subiectum completum assensus opinativi (i. e. accipiendo praeiudicium quoddam, seu inclinationem partis sensitivae, cuius ope compleatur, in ordine ad assensum, perceptio intellectualis imperfecta ; cfr supra, p. 53-60), tunc concedimus cum probabilistis licere interdum sententiam quandam « minus probabilem » in agendo sequi, ope principii reflexi. Quoniam tamen illud principium reflexum ita intellegimus, ut subiectum reflexione percipiat affectionem eam, qua inclinatur in « magis probabilem » (quam theoretice tenet, practice dimittit), moraliter indifferentem esse (i. e. ex subiectivitate sensitiva, non ex sensu morali perfectiore, procedere), ideo post reflexum iudicium vix, aut ne vix quidem, dici proprie potest altera « minus probabilis ». Est enim minus probabilis respectu animalis existimantis (p. 56-57) ; sed respectu iudicis rationabilis veritatis practicae, dici potest

aeque probabilis[1]. Concidit etiam obiectio fere praecipua adversariorum probabilismi : « non aliunde nisi ex affectione inordinata fieri posse, ut quis sententiam sibi minus probabilem in agendo sequendam eligat ». Affectio enim inordinata ex hypothesi a nobis excluditur ; neque est inordinata affectio, cum quis a praedispositione sensitiva moraliter indifferente in iudicio de agendis praescindit : est enim regula agendorum, ratio, sensus vero regula non est, nisi in quantum rationis sigillationem habet in se impressam.

II. Patet secundo quid dicendum sit de distinctione inter « probabile quoad se » et « probabile quoad nos » vel « probabile huic », in qua interdum immorantur scriptores (v. Frins, *op. cit.*, p. 170-171). Dum enim quis secundum processum a nobis explicatum crisim suae opinionis instituit, dum ex cognitione *probabili* se transfert ad cognitionem *probabilium* (supra, p. 60-61), tunc ex aestimatione eius quod est probabile sibi, se transfert, quantum potest, ad cognitionem eius quod est probabile « in se » (i. e. viro ab omnibus individualibus praeiudiciis, quantum fieri potest, libero ; haec enim sola tandem notio potest huic voci « probabilis in se » subiici). — Huic distinctioni affinis est quaestio practica, num confessario liceat paenitentem absolvere, cum is agit secundum opinionem sibi quidem paenitenti, vel gravibus theologis,

1. Posset etiam, ut videtur, sine detrimento dimitti usus vocum illarum ad *quantitatem* pertinentium : « aeque », « magis », « minus », et si quae sunt aliae, cum agitur quaestio probabilitatis. Nam, si consideratur probabile ut apprehenditur a subiecto completo opinionis (quod cum ratione complectitur supplementum declinationis sensitivae), tunc eidem subiecto eodem tempore unum tantum ut probabile apparere potest (recteque, sic rem intellegendo, dicetur cum P. Gardeil [cfr supra p. 64, not.] probabilioritas non separari a vera probabilitate). Si vero considerantur probabilitates ut a subiecto reflexive cointelleguntur dispositionibus sensitivis correlativis, sicut est supra explicatum, p. 60, tunc possunt quidem oppositae sententiae simul probabiles iudicari, sed, cum ad alias subiecti dispositiones singulae probabilitates referantur, non possunt inter se commensurari. Quod si illa « maior » dicenda videtur, quam sibi subiectum connaturalem magis experitur, seu in quam se sentit vehementius inclinari; tunc aut non praescindit a dispositionibus sensitivis moraliter indifferentibus, quod est contra hypothesim, aut sic iudicat secundum dispositionem virtuosam sensibus impressam (prudentialiter), desinitque esse prudens oppositae dispositionis electio, desinit esse probabilis opposita opinio.

probabilem, confessario vero non probabilem, vel tenuiter probabilem. (De his quaestionibus agit Lehmkuhl, *op. cit.*, I[10], n. 116-118, Beaudouin, *op. cit.*, p. 140-141). Evanescit enim huiusmodi distinctio, quae perplexitatis causa in hac materia esse potest, si confessarius perspicere videt, sibi ob praeiudicia subiectiva moraliter indifferentia displicere opinionem quam alii probabilem habeant : tunc itaque non debet suam imponere poenitenti, neque in hoc ulla est inordinatio, cum secundum hypothesim nostram, alteram vere *iudicet* esse probabilem. Quod si confessarius certo falsam iudicaret esse opinionem quam paenitens sequi vellet, nequiretque eum a sententia dimovere, tunc agendum esset secundum regulas tradi solitas de errore vincibili vel invincibili. Fieri denique potest, ut confessarius pervidere nequeat utrum propter praeiudicium subiectivum an propter vim rationum bene perspectam, aliqua sententia, aliis probabilis, sibi improbabilis appareat. Fit itaque ei dicta sententia *probabiliter probabilis*, atque opus esse videtur novo principio reflexo. In hoc itaque casu, aut reflexe iudicare potest de radice subiectiva sui dubii, puta, si se novit esse in subiecta materia ad scrupulos pronum, et sic probabilitatem in certitudinem rursus potest transformare, aut id efficere nequit, et sic ad opus procedere (i. e. sententiam practice amplecti) nequit : secus enim ageret cum conscientia dubia.

III. Quaerunt etiam scriptores num liceat inter complures opiniones probabiles modo hanc, modo illam sequi (Lehmkuhl, *l. c.*, p. 114-115 ; Beaudouin, *op. cit.*, p. 141). « Respondeo negative, ait Beaudouin, in sententia aequiprobabilismi, quia in concursu opinionum aequiprobabilium, partem tutiorem cui favet titulus possessionis sequi tenemur. » Affirmant vero probabilistae multi, quod etiam videtur in nostra sententia faciendum. Nam cum nulla dispositio sensitiva moraliter indifferens in normam officii necessariam erigi debeat, possum nunc hanc nunc illam animalis existimantis habitudinem ad agendum amplecti. Quaeritur quoque, num liceat in una eademque re individua duabus opinionibus simul uti, ad quam quaestionem respondent omnes negative. Sic non potes ex testamento informi accipere haereditatem, onera

adiuncta respuere ; non potes, de media nocte dubius, breviarium non absolutum ex una parte relinquere, ex altera parte cenam sumere, mane communicaturus, etc. Huius negationis ratio est, in nostra sententia, perspicua. Nam etsi nulla dispositio sensitiva moraliter indifferens ius prae aliis habet ut induatur ad agendum, at *aliqua* talis dispositio, ei qui in mundo empirico agere debet, necessario est induenda, seu practice acceptanda (sicut nulla ex individuis navibus propter se, *aliqua* tamen navis necessario requiritur ad navigandum). Qui igitur ex. gr. simul supponeret, mediam noctem elapsam esse et non elapsam, is se empiricis huius nostri mundi condicionibus subtraheret, sub quibus multa nobis officia, a Dei Providentia imposita, sunt persolvenda.

IV. Ex dictis perspici potest quam falso quidam probabilistae, quos videtur suae doctrinae pudere, etsi eam mordicus defendere pergunt, concedant, quasi ex natura rei coniungi usum benignioris sententiae, cum aliqua imperfectione morali, consequenterque iudicent eam esse periculosam in praxi. Sic Frins, *op. cit.*, n. 188, pp. 182-183 : « Nam etsi (ait) ita per se licet agere, non tamen « per se licet eam sententiam indiscriminatim aliis suadere, neque « conducit nos ipsos communiter et ordinarie ita operari. Etenim « illa probabilia, etsi licita sunt, sunt tamen fere imperfectiora « tutioribus. Imperfectum autem, ut agant, suadere aliis sine « ratione excusanti, certo vitiosum est ; agere vero ipsa sine causa « excusanti, etsi de se peccatum quidem non est, est tamen « defectus moralis, sublatio multorum meritorum et causa priva- « tionis multarum gratiarum... Ergo dicendum quidem aliis com- « muniter hoc, licere ita agere, suadere vero et impellere eos, ut « ita reipsa agant, sine causa excusanti minime licet, sed saepe « contrarium est faciendum. » Idem p. 184, de exemplo quodam, quod attulit : « Sine dubio melius feceris, si mitiorem amplexus « fueris sententiam, egeris tamen secundum severiorem ; sic com- « moda habebis prioris sententiae coniuncta cum commodis « posterioris. » Quod quis eam quam speculative tenet veritatem, practice ita periculosam iudicet, mirabile fortasse non paucis, et id quidem iure, videbitur. Ut autem a probabilismo omne peri-

culum laxismi, tam practici quam theoretici, abesse perspiciatur, sufficiet, secundum supra explicata, duo momenta electionum distinguere. Est enim electio probabilitatis, est consequens electio actionis. Porro, in electione probabilitatis, eligimus re vera, licet plerumque implicite, sicut supra dictum est, dispositionem subiectivam huic probabilitati respondentem, normaque huius electionis tradita est, ut sentiamus, a nobis indui posse dictam dispositionem, sine ullo purae intentionis, qua in Deum tendere debemus, detrimento (p. 68). Ex hac ergo parte laxismus excluditur, cum solo amore Veritatis moveamur, dum quaerimus, num proposita actio sit a Deo prohibita, an non. Quod si perspeximus, legem hic et nunc non obligare, altera electio facienda remanet, actionis ipsius. Hic igitur, si, a lege positiva soluti, intellegimus fore perfectius si iuxta id quod lex alias iubet, egerimus, recte facimus sic agentes : oboedientia tamen legi in causa non est, sed perfectionis amor, caritas, vel quaepiam alia virtus. « Legem » itaque libertati esse praeferendam, nihil aliud ibi sonat, nisi unicuique homini cavendum esse, ne id quod sibi naturaliter gratum est, cito iudicet sibi ad agendum expedire[1]. Ne autem citius iudicet id sibi licere, cautum est in priore electionum momento, i. e. in crisi dispositionum subiectivarum, ut dictum est.

V. Universim loquendo, facile in errores inducetur, qui « legem » et « libertatem » tanquam duos litigantes cogitabit, *quorum sint opposita commoda*. Re enim vera, inimica non est lex libertati, sed potius lex est perfectio quaedam libertatis, rursumque libertas, cum deest praeceptum exterioris legis positivae, bonum suum determinando, legem aliquam sibi determinat. Cum itaque nova advenit cognitio ei qui antea de lege aliqua positiva non dubitabat, mutato statu conscientiae mutandum etiam est dictamen morale, seu applicatio Legis aeternae ad individuas subiecti circumstantias, neque perseverat lex positiva ut ei applicata. Id

1. Etsi est hoc monitum in multis saluberrimum, non tamen, ut patet, universale principium traderet conscientiae formandae, qui diceret : « Cum de recto dubitas, id elige quod est tibi molestius. » Adverte hoc non idem esse praecepto de eligenda lege : interdum enim usus libertatis est molestior.

non satis advertere videntur, qui principio possessionis coarctant usum probabilismi (p. 47-50) : fingunt enim, adveniente dubio, manere legem *certam* cum eo litigantem, quasi, dubio exorto, maneret certitudo quemadmodum manet possessio rei materialis, reclamatione exorta. Quod autem *ego antea* certus fuerim, id factum empiricum est, quod cum rei veritate non habet necessariam connexionem. Si vero dicunt anterioritatem agi non temporalem sed realem (p. 49, not. 3), id 1°) possessionem legis induceret etiam ubi eam adesse negant aequiprobabilistae, e. g. ubi de *inito* tempore abstinentiae dubitatur ; ac 2°) advertendum est, anteriorem esse omnibus legibus particularibus non quidem libertatem illimitatam creaturae adversus Deum, quod absurdum est, sed obligationem in Deum tendendi, cum libertate de mediis eligendis ubi de particulari obligatione non constat. Sic igitur in casu manet libertas.

CONCLUSIO

Cum assuetudine bonorum operum fiat, ut *lex* quodammodo *transeat in virtutem* (Renz, *op. cit.*, p. 157), non legis evacuatione, sed hominis etiam animalis subiectione, exterioritas tamen quaedam legis hic semper manebit, manebit etiam, quoad quaedam, consequens incertitudo. Quae in dies minuitur, dum homo Deo similior, « per legem libertatis » incipit non tantummodo « iudicari » (*Iac.*, 2, 12) sed iudicare.



INDEX CAPITUM

Imprimé par Desclée De Brouwer et Cie, Bruges (Belgique) — 12036/28.

PUBLICATIONS DU MUSEUM LESSIANUM

SECTION THÉOLOGIQUE :

Nouvelle Revue Théologique. Paraissant dix fois l'an.
Belgique : 40.00 fr. ; France : 35.00 francs français.

Revue des Communautés Religieuses. Paraissant tous les deux mois.
Belgique : 12.50 fr. ; France : 20.50 fr. fr. ; Étranger : 4.25 belgas.

Documents du Saint-Siège (1918-1924), volume supplément à la « Revue des Communautés Religieuses ».
Belgique : 8.50 fr. ; Étranger : 2 belgas.

1, 2, 3, 4. — A. VERMEERSCH, S. I. — *Theologia Moralis.* Principia-Consilia-Responsa, 4 vol., 3e édit. vol. I : 70.00 fr.; vol. II : sub prelo ; vol. III : 100.00 fr. ; vol. IV : 20.50 fr.

5, 6, 7. — A. VERMEERSCH, S. I. & I. CREUSEN, S. I. — *Epitome iuris canonici.* Tomus I et II, 5a edit. : 41.00 fr. ; tomus III, 5a edit. : 36.00 fr.

8. — PIERRE CHARLES, S. J. — *La Robe sans Couture.* Un essai de protestantisme catholique. La Haute Église allemande actuelle. 15.00 fr.

9. — JEAN-BAPTISTE BORD. — *L'Extrême-Onction.* Étude de théologie positive. 17.00 fr.

10. — LÉON HONORÉ, S. J. — *Le Secret de la Confession.* Étude historico-canonique. 15.00 fr.

11. — JOSEPH CREUSEN, S. J. — *Religieux et religieuses,* d'après le droit ecclésiastique, 4e édit., 10e mille. 24.00 fr.

12. — ARTHUR VERMEERSCH, S. J. — *Petit catéchisme des vœux solennels.* *(Épuisé).*

13. — ÉMILE JOMBART, S. J. — *Les Moniales.* Discipline des vœux simples et passage à la profession solennelle. *(Épuisé).*

14. — I. CREUSEN, S. I. — *Tabulae fontium traditionis christianae.* Editio altera aucta a F. Van Eyen, S. I. 25.00 fr.

15. — PIERRE COTEL, S. J. — *Catéchisme des vœux.* 30e édition publiée par Émile Jombart, S. J. 4.50 fr.

16. — G. VROMANT, C. I. C. M. de Scheut. — *Facultates Apostolicae* quas Sacra Congregatio de Propaganda Fide delegare solet Ordinariis Missionum. Commentaria in Formulam tertiam. 15.00 fr.

— Supplementum ad Commentaria in Formulam tertiam. 3.00 fr.

17. — GÉRARD PHILIPS, maître en théologie. — *La raison d'être du mal,* d'après Saint Augustin. 24.00 fr.

18. — FRANÇOIS-XAVIER JANSEN, S. J. — *Baius et le Baianisme.* Essai doctrinal sur une erreur théologique. Ouvrage couronné par l'Académie Française. 25.00 fr.

19. — G. VROMANT, C. I. C. M. de Scheut. — *De bonis ecclesiae temporalibus* ad usum utriusque cleri, praesertim missionariorum. 45.00 fr.

20. — G. VROMANT, C. I. C. M. de Scheut. — *Ius Missionariorum*. Tomus II. De personis. 48.00 fr.

21. — CH. VAN SULL, S. J. — *Léonard Lessius* de la Compagnie de Jésus (1554-1623). 40.00 fr.

22, 23. — E. GENICOT, S. I. — *Institutiones theologiae moralis*, editio 13a quam recognovit I. Salsmans, S. I. Deux vol. in-8o. 90.00 fr.

24. — G. VROMANT, C. I. C. M. de Scheut.— *Ius Missionariorum*. Tomus V. De Matrimonio. 40.00 fr.

25, 26. — XAVIER-MARIE LE BACHELET, S. J. — *Prédestination et grâce efficace*. Controverses dans la Compagnie de Jésus au temps d'Aquaviva (1610-1613). Histoire et documents inédits. Deux vol. in-8o. 135.00 fr.

27. — E. GENICOT, S. I. — *Casus Conscientiae*. Editio 6a recognita et aucta a I. Salsmans, S. I. 45.00 fr.

28, 29. — ÉMILE MERSCH, S. J. — *Le Corps mystique du Christ*. Études de théologie historique. 2e édit. Deux vol. in-8o. 90.00 fr.

30. — G. VROMANT, C. I. C. M. de Scheut.— *De Fidelium Associationibus* ad usum utriusque cleri, praesertim missionariorum. 18.00 fr.

31. — S. ÉM. LE CARDINAL DOMINIQUE JORIO. — *La Communion des Malades*. 7.00 fr.

32. — G. VROMANT, C. I. C. M. de Scheut.— *Ius Missionariorum*. Tomus I. Introductio et normae generales. 27.00 fr.


33. — A. EHL. — *Direction spirituelle des Religieuses*. Adapté de l'allemand par J. Creusen, S. J. 30.00 fr.

34. — ÉMILE MERSCH, S. J. — *Morale et Corps Mystique*. 25.00 fr.

~~ROUSSELOT~~
Quaestiones de
conscientia

1552037

APR 19 1949 FEB 19 1949	**Bindery** Source
MAY 13 1949	
	Geo. Ege Eldr...
APR 27 1953	
APR 27 1953	Rob... N. Whipple


UNIVERSITY OF CHICAGO
44 751 286